77
E
8

7
3-C
28

6
307L
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-3.C.28

77-I,-10

7.3.8.
77
I
8

m.
444

BELLVM MVTINENSE HENCIO REGE DVCE CVM BONONIENSIBVS GESTVM

Auctore Iacobo Maria Campanacio.

Ad Illuſtriſs.MVM Bononienſem SENATVM.

Bibliothecae Coll. Rom. Soc. Jesu ex legato P.ris Cocini

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE



Bononiæ apud Alexandrum Benacium.
Superiorum permiſſu. CIↃ IↃ XC.

ILLVSTRISSIMO BONONIENSI SENATVI

Iacobus Maria Campanacius Felicitatem.

ET ſi mihi ab ineunte ætate ad hanc vſq; diem, Senatores præſtantiſsimi, non pauca præter voluntatem acciderunt, illud tamen præcipue longe ſecus atq; ego voluerim, cecidiſſe, vehementer doleo, quod ſcilicet quam patriæ ope-

ram nauare ſemper optauerim, eam ipſi nunquam exhibuerim. ad huc etenim adoleſcens aliena potius, quam mea ſponte & hinc diutius abeſſe, & optata in aliud tempus reijcere ſum coactus: domum tandem quaſi poſtliminio reuerſus, ingraueſcēte iam ætate, ac rei familiaris cura impeditus, facile intelligo, mihi olim quidem aliquid fortaſſe agendi opportunitatem, nunc vero eſſe facultatem ereptam. Veruntamen quantum habeat momenti inueterata diu cupiditas, vel hinc licet cognoſcere. quo enim ego magis viribus deficior, eo magis animi quodam impetu feror ad ea patriæ præſtanda, quæ nec aſſequi valeam, nec fere audeam ſperare; ita factum vt grauiſsimum ſubire onus non dubitauerim, res nempe a maioribus geſtas, litterarum monumentis commendare. Qua in re neq; illud me mouit, quòd non defuturos animaduerterem, qui me aut parum vidiſſe, aut nimis auſum fuiſſe cenſerent, cum in eo præſertim acquieſcam, quod vulgatiſsimum eſt, & præclara facere pro patria, & præclare ab

alijs

alijs facta ſcribere, quàmuis non optime, ab optimis tamen, ac ſapientibus viris laudabile ſemper exiſtimari. inter quos cum veſtrum quilibet maxime excellat, auctoritate, & gratia longe ceteris præſtet, facile ſum adductus, vt belli Mutinenſis, quod Hencio Rege duce cum Ciuitate noſtra geſtum eſt, hiſtoriam nuper à me editam, nomini potiſsimum veſtro dicarem, ſimulq; pro mea in vos obſeruantia, ac pro veſtra erga omnes humanitate, vt cauſam meam ſuſciperetis, orarem. Veſtrum hoc in primis, ac maiorum veſtrorum eſt opus: haud ſecus eius monimetum tueri veſtrū eſt. Quod ſi, vt ſpero, conſequor, cum in me ornando, tum in excitandis ciuium ingenijs ad hiſtoriam ſcribendam valebit plurimum, quæ hucusq; neglecta, aut certe parum exculta, nonnullis gloria paribus populis vt concederemus, quamplurimis longe inferioribus vt uix æquari videremur, in cauſa fuit. Nam rerum geſtarum memoria cum breui occidat, hiſtoriæ ope reuiuiſcit, felicitas vero, ſiqua in rebus humanis ineſt, inde facillime comparatur.

tur. At de hiſtoriæ laudibus fortaſſe alias. Quod ſupereſt, a Deo optimo maximo perpetuam ampliſsimo ordini veſtro incolumitatem precatus, a vobis non tam quid ego patriæ, quam quo id animo obtulerim, vt ſpectetis, etiam, atq; etiam contendo. Valete.

EXCELLENTISSIMI
THOMAE CORRAEAE
In libellum de Rege Encio capto.

VT Fliſcus per te æternum victurus in æuum
Inſerit Heroum nomina nominibus,
Sic per te fama in memori Rex Encius hæret,
Per te Letheas non aditurus aquas.
Fortunati ambo tanto ſciptore, per orbem
Nuncia fama graui ſparget vtrumq; ſono.

Aliud:

Inter mille olim partos ex hoſte triumphos,
Nil tamen hoc victrix Felſina maius habet.
Quod Regem ſubigat, captum conſeruet, adempti
Oſſaq; marmoreo collocet in tumulo.
Hæc ne tempus edax mergat monimenta tenebris,
Eruis, & patria conſulis hiſtoria.

Aliud.

Felſina dum Mutinæ bellum infert, Encius vltro
Occurrit, contra ſigna inimica mouet.
Dum ruit in medios, dum pectore fortis, & armis

Inſtat

Inſtat in aduerſos, vincitur, & capitur.
Tu patriæ monimenta ſitu pene obruta, chartis
Victuris ſæclis innumerabilibus
Colligis, & pat[illegible]as laudes, & parta trophæa
Erigis, & c[illegible]is eruis a tenebris.
Per te iterum: et victas acies, memorandaq; geſta
Audiat, & forti regna ſubacta manu.

Aliud.

Felſineos fines dum concutit Encius armis,
Germano Heſperiam ſanguine tinxit humum.
Atq; haſtam, clypeumq; grauem, criſtaſq; comantes
Eripuit victrix Felſina ab hoſte fero.
Ne tamen iſta ſitus peredat, ne annoſa vetuſtas
Atterat, vt laudes has meminiſſe iuuet:
Per te priſca legit monimenta Bononia, nomen
Sic patrium miris tollis in aſtra modis.

EXCELLENTISSIMI
HIERONYMI MAIOLINI.

QVanta ferox armis inſurgas Felſina, quãtam
Inq; hoſtem, ac cædes Martia vis rapiat,
Teſtatus quondã fuerat bello Hẽcius audax,
Hencius Auguſti maſcula progenies.
Namq; auſus tecum infeſtis concurrere ſignis,
Obijcere inuictis agminaq; agminibus:
Dum fruſtra horribili conatur Marte, ſuorum
Scultennæ vndantes ſanguine vidit aquas;
Seq; tuos Regem indignans ornare triumphos,
Implicitum vinclis brachia ſæua fremit.
At tantum tantæ virtutis merſerat ætas
Exemplum, cæcis improba vorticibus;
Tu calamo occurras illo ni vindice contra,
Quo, Campanaci, fortia facta beas.
I nunc, i lethe, tua nunc obliuia iacta,
Atq; Henci clades obrue magnanimi.

IOANNIS BAPTISTÆ MORELLI.

TIgranem domuit, deuicit Roma Syphacem,
Perſeos & preſsit colla ſuperba pede;
Nec mirum ſi Roma ingens tot regibus olim
Iniecit frænos, impoſuitq; iugum.
Innumeras gentes ditione premebat, & oras,
Pollebat terra, nec minus illa mari.
Finibus at mirum eſt, quod clauſa Bononia paruis
Pugnaci extendit remq; decusq; manu.
Finitimas Vrbes valida virtute ſubegit
Terribiles regum contudit atq; minas.
Teſtis erit clades, Mutinam qua Marte ſecundo
Afflixit referens parta trophæa domum.
Hencius ille ferox Friderici clara propago
Bellando ſenſit Felſina quanta foret:
Fuſus enim, victusq; acie, captiuus, & vrbem
Hoſtilem ingrediens addita vincla tulit.
Hanc pater ingenti pacta mercede repoſcit,
Non exauditus triſtia bella parat.
Quid Friderice facis? generoſas flectere mentes

poſſe

Poſſe putas pretio, vincere poſſe minis?
Felſina non auro ſeruit, verum imperat auro,
Degenerisq; metus neſcia corda gerit.
Non tibi reſtituit natum, non carceris atri
Informi patitur delituiſſe ſitu.
Magnifico at cultu digna cuſtodit in aula,
Mortis & extremum donat habere decus.
Hoſtis & ipſa facit regali funera ſumptu,
Quis neget hæc alti pectoris eſſe notas?
Protulit alma viros facundo Felſina ventre,
Egregios armis, egregiosq; toga.
Hi valuere manu ſcribendo, hi magna gerendo,
Inq; vicem alterius poſtulat alter opem.
Marti olim ſtuduit, nunc pace potitur opima,
Splendida quid prohibet ſcribere facta patrum?
Præſtat id ingenio vir Campanacius acri,
Eloquio clarus, nec tamen arte rudis..
Præclara ſcriptorq; fide, candoreq; miro
Hiſtoriam patriæ conficit ille ſuæ.
Huius & immenſum laudes protendit in æuum
Hominis, & celebrem ſpargit in orbe ſonum.

AD AMPLISSIMOS
BONON. REIPVB. SENATORES.
IVLIVS SIGNIVS.

VRbis qui Genuæ motus, diſcrimina, Fliſci
Nuper & expreſsit facta nefanda ducis,
Nunc magni Regis magnum, & memorabile bellum,
Henci hoſtis victi, caſtraq; victa refert.
Sunt hæc aureolis, patriæ noua lumina PATRES,
Scripta notanda notis, atq; linenda Cedro.
Hinc pax Auſoniæ, vobis manare triumphus
Regalis, cœpit gloria, fulſit honos.
Hinc fama ore potens tonuit per regna Tonantis;
Hoſtes magnanimis cedite Felſineis.

Eiuſdem.

ARtibus ingenuis alias vrbs imbuit vrbes,
Felſina cum Iani ianua clauſa manet.
Temporibus belli munit ſe fortibus armis,
Indomitoſ Reges vincit, & vna domat.

AN-

ANGELI PAGNONII.

Felſineas teſtantur opes, & robur auitum
Hencij in effuſos agmina verſa pedes:
Vincula complures Henci ſeruata per annos
Excelſos animos, pectora firma probant;
Quæ nec amor potuit maleſuadi flectere nummi,
Nec terrere alti dicta ſuperba patris.
Funera regifico tandem celebrata paratu,
Magnanimûm oſtentant ſplendida corda virûm.
Acre ſed ingenium, ſolers, ac gentis acumen
Felſineæ hæc, lector, ſcripta diſerta notant.
Verba legas, numeris quam ſunt adſtricta venuſtis?
Res tractes, quanta cum grauitate micant?
Alma colit Muſas, colit arma Bononia, laudem
Ipſa ſuam hic Pallas, Mars habet ipſe ſuam.

EIVS-

EIVSDEM DIALOGVS

PAGNONIVS: BONONIA.

P. PAlladis urbs ſtudijs, ſtudijs clariſsima belli,
Mauortisque domus, Pieridumque domus;
Partum quid ſumptis memorabile nomen in armis,
Flumen & exculti quid iuuat eloquij,
Hæc ſi clara tuis indicta ſileſcere chartis,
Perpetuaq; ſinas nocte trophæa premi?
B. At non ulterius premet. en lux addita nocti,
Qua rutilat linguas inter, & arma nitor.
Corripuit calamum acer Campanacius, haſtis
Oſtenditq; meos eſſe pares calamos.

Flaminii Blaſetti.

Cæſaris, & Criſpi nihil eſt, quod ſcripta volutes,
Vnus tu Cæſar, Criſpus & alter ades.

GRA-

Grauiora errata		Correcta.
pag. 20	IMperatoribus ipſis offerentibus.	IMperatoribus ipſis afferentibus..
52	Fortius rebellium.	Fortius in rebellium.
55	Duplex columnarũ ordo ſuffulciat, vt nedum. &c.	Duplex columnarum ordo ſuffulciat,longitudine duplo maiore, vt nedũ &c.
63	Integra, uel inegra remaneant, vel trio eorundem.	Integra vel integra remaneant, vel euerti poſſint arbitrio eorundem.
65	Caruolinus Caſtellus.	Coruolinus Caſtellus.

HI-

HISTORIAE HVIVS EPITOME.

MVTINENSES quòd Nonantulam,& San Cæſarium ſuæ olim ditionis oppida à Bononienſibus occupari conquererentur,ad eaq; repetenda fruſtra Legatos miſiſſent; Hencij Corſicæ,ac Sardiniæ Regis, Friderici Imperatoris filij eiuſdéq;in Italia Legati opem aduerſus Bononienſes implorant,atq; impetrant, ac bellum compluribus accerſitis auxilijs occulte comparant. re tamen à Bononienſibus animaduerſa,exercituq; ſumma celeritate coacto; hoſtibus ad Scultennam flumen occurrunt, atq; Hencium,qui paulo poſt cum Germanorum cohortibus flumen tranſierat, repellunt, ac fugant. Eo deinde ad Nonantulam expugnandam profecto, Bononienſes flumen traijciunt,ac Mutinam verſus ire inſtituunt. Quibus ipſe ad Sancti Ambroſij pontem cum omnibus copijs obuiam factus,prælium cum ijs committit.ita diu,acriterq;cũ vtrinq; eſſet pugnatum, Mutinenſium tandem exercitus profligatur. ipſe Hencius Rex vna cum alijs compluribus capitur,ac Bononiam veluti in triumphum ducitur. Verum Bononienſibus,vt dimitteretur,auro,& minis nequicquam tentatis, vbi ſecundum,aç vigeſimum annum Rex in regia fuiſſet cuſtodia,vita functus, regali funeris põpa elatus, ac tumulatus eſt.

BELLVM
MVTINENSE
HENCIO REGE DVCE
CVM BONONIENSIBVS Geſtum.

BELLVM ſcribere aggredior, quod Mutinenſes, Hencio Rege duce, cum Bononienſibus geſſere.maximum enim extitit, in primiſque memorabile, tum propter ſummam ipſius ducis præſtantiam, ac magnos vtriuſque ciuitatis conatus, tum ob incredibilem euentus felicitatem. maximos quidem rerum motus, ac mutationes attuliſſe partam inde Bononienſibus victoriam, ſummos etiam Pontifices diutius iactatos,ſe in priſtinam dignitatẽ vindicandi,atque Eccleſiam tum maxime amplificandi feciſſe initium inter omnes conſtat: Nam & ſub Innocentio tertio ſanctitatem maxime illuſtratam,& ſub Innocentio eius nominis quarto,

ROMA

qui per idem tempus ſummum geſſit Pontificatum, vetera Eccleſiæ ornamenta fuiſſe reſtituta, complures litteris tradidere. Neque vero id ipſe mihi tribuere auſim, vt rem tantam pro ipſius dignitate ſcribere me poſſe cõfidam. & ſuſcepti muneris difficultatem, & mearum imbecillitatem virium probe noui. Sed tamen illos imitari muſicos pulchrum duxi, qui cum ſe ſe non optime canere ſciant, optima tamen ſibi canenda, ac præclara aliorum inuenta, quibus auditorum animi capiantur, deligere conſueuerũt: vt quod ipſi ſua nequeunt virtute, id aliena conſequantur. Equidem ſcripta noſtra nihil ad hiſtoriam hanc ornamenti; noſtris autem ſcriptis multum eam lucis afferre poſſe non ignoro. Quamuis etenim Bononienſes memoranda in primis edidiſſe facinora, & bello, & pace, annalium monumenta teſtentur: hoc tamen vnum ſi quis cum eorum præſtãtiſſimis conferendum putet, recte quidem ille, ac ſapienter exiſtimet. Conquerebantur Mutinenſes armis Bononienſium infeſtis in dies magis vexari; agris, & oppidis iniuſte ſpoliari, atq; antiqua belli gloria prorſus amiſſa, inimicis prædæ futuros ſe tandem verebantur: magno inſuper dolore angebantur, Fridericum Imperatorem quem vnum præcipue coluiſſent, in quo

omnium

omnium ſuarum fortunarum ſpem potiſſimum collocaſſent, ad oppidum Victoriam re male geſta, theſauro, exercitu, ac dignitate exutum, quaſi fuga arrepta vagum, & exulem procul errare, nullum idcirco perfugium, nullam ſibi ſpem reliquam videri, dies noctesque cruciabantur. Vulgo quoque ſæpius audiri, quin potius inanes queſtus, ſi viri eſſent, abijcerent, mulieribus relinquerent? ac dum animi ſimul, & vires ſupereſſe viderentur, hoſtes repente inuaderent, maleficia vindicarent? deſidia iam antea parta male dilabi, nihil non audacia comparari, ſuo ſatis periculo didiciſſe. quod ſi extremum omnino caſum ſubire cogantur, præſtare quidem in acie fortiter cecidiſſe, quam hoſtium ſuperbiam, auaritiamque diutius perferre. poſtremo, præclarum priſcæ virtutis edendum exemplum, poſteris que relinquendum, ne Mutinenſes maiorum potius virtuti, quam Mutinenſibus fortuna defuiſſe videretur. Huiuſmodi voces iuuentutem ſæpe in circulis, ac foro iactantem, maturæ ætatis viri ſæpius corripere; vt meliora loquerentur admonere: nihil temporibus illis à patriæ ſalutæ tam auerſum, nihil inimicis tam opportunum, quam, Cæſaris viribus, atq; opibus fractis, atque attritis, principẽ Romaniolæ ciuitatem, atque adeo ſtudioſiſſimos

Pontificij nominis Bononienſes vi irritare,ac fer-
ro laceſſere;qui neque victores, neque victi quie-
ſcere,ſed bella ex bellis ſerere conſueuiſſent; ſecu
ritati primo,deinde vltioni eſſe conſulendũ.quod
ſi aliquid prorſus experiri tum eſſet ſtatutum, Bo-
noniẽſium lenes,ac dulces animos illecebris mul
cendos potius,quam audaciam irritandam ; mul-
ta nempe à viris,gloriæ præſertim cupidis, preci-
bus nonnunquam,ac blanditiis exprimi , quæ ar-
mis comparari nequaquam poſſent.Re itaque ad
conſilium delata , tam & ſi variæ dicerentur ſen-
tentiæ,ea tamen obtinuit , vt ad Bononienſes an-
te omnia legati mitterentur:extremis malis extre
ma remedia eſſe reſeruanda : Ij Bononiam profe-
cti,atque in conſilium admiſſi,ita cum Bononien-
ſibus egerunt:Se finitimę ciuitatis conſilio,atque
armis florentiſſimæ amicitiam, beneuolentiamq;
expetere,quando Mutinenſis populus nihil vehe-
mentius cuperet, quam vt perpetuam gratiam
cum Bononienſibus iungeret,ac firmaret:id quã-
to vtrique ciuitati præſidio, atque ornamento eſ-
ſet futurum,cunctis patere:hoc tantum modo pe-
tere,atque obſecrare,vt propenſam populi Muti-
nenſis voluntatem , viribus , & dignitate nequa-
quam contemnendi,inſigni profecto, at non ma-
gni apud Bononienſes precij beneficio ſibi deuin
ce-

cerent, oppida ſcilicet San Cæſarium, & Nonantulam Mutinenſibus reſtituerent, vel ſaltem liberaliter condonarent. tantorum in ſe meritorum magnitudine immortalem apud cunctos Italię populos auctoritatem, & gloriam conſecuturos. Ad ea Bononienſes pauca reſpondere: Mutinenſium amicitiam ſe magni ſemper feciſſe, ac ſæpius vltro expetiſſe, tum vero ſibi præter opinionem oblatam libentiſſime amplecti. Verum tamen eam neque dedecori, neque oneri eſſe ſibi debere. Nonantulam olim ſponte deditam, iuſto titulo, San Cæſarium ob damna à Mutinenſibus illata, iure belli poſſidere. ſi tamen præteritorum Mutinenſes ſyncere obliuiſci, quam recordari mallent, daturos operam, vt ipſi intelligerent, ſe vt neque inimicorum armis, ita neque amicorum beneficiis facile ſuperari. Eo reſponſo Mutinæ vulgato, vſque adeo omnes ira exarſere, vt parum abfuerit, quin ſinguli arma repente caperent, atq; in Bononienſem agrum excurſionem facerent. Cæterum tumultu ſedato, in conſilio agitari cæptum eſt de bello Bononienſibus inferendo: qua in re multæ proponebantur difficultates; Bononienſium potentia, ſocietates, clientelæ, magna belli peritia, maior pertinacia; contra ſibi perexiguas eſſe vires, amicorum, & ſociorum eneruès,

ac debiles, præter animos, & alacritatem (tam & ſi fortuna hęc ſæpe iuuarentur) nihil ſupereſſe. Si tamen Hencium regem, tum haud procul magnis cum copijs agentem, ad ſe allicere, atque vna ſibi adiungere potuiſſent, in magnam rei bene gerendæ ſpem haud temere adducebantur: Ad Hencium igitur legati omnium ſententijs decreti, & quam occultiſſime fieri potuit, confeſtim miſſi. omnem vero belli cogitationem palam abieciſſe, atque ocio ſe totos tradidiſſe ſimulant. Habebat id temporis caſtra rex Hencius in Regienſium finibus; quod nonnullorum populorum audaciam reprimere, ac Simonis præſertim Manfredi, Cæſarianorum hoſtis acerrimi, facinora vlciſci maturaret. Namque ingēti æſtuabat deſiderio magni ſpiritus adoleſcens, illata Friderico damna ſarciendi, atq; ignominiam delendi; in id vnum maxime incumbere, id animo ſecum perpetuo verſare, ac reputare. Fuit Hencio Regi pater Fridericus Imperator, vir bello ſtrenuus, pace infidus, ingenij ferocia, & corporis robore, auo Friderico ſimillimus, qui ab aheneo colore barbæ, Ahenobarbus eſt appellatus; ingentibus tum flagitijs, tum virtutibus maxime inſignis: Nam præterquam quod vniuerſos Italię populos diu, ac multum vexauit, diripuit, ad internecio-

nem

nemque fere redegit;omnia etiam diuina, & humana iura violauit, ſummos vero Pontifices implacabili odio,acrique bello perſecutus, Roma, atq; Italia eiecit; malorum quidem omnium cauſam,ac ſemina ingerente (quemadmodum nonnulli ſcriptores tradidere) Icilino ipſo, tum Patauij,ac Veronæ tyranno, longe poſt natos homines improbiſſimo,ſceleris atrocitate,atque omni diritate omnino deteſtabili; quo viuo, perditiſſimo cuique nihil non licuit,bonis vita mors potior fuit.Verum præter immanem, ac ferum Friderici animum,effuſæ ipſius in omni intemperantia libidines valde reprehenduntur; quippe qui, tam & ſi nunquam cælebs,ſcortorum tamen amator, ac matronarum inſidiator ſemper exſtiterit, ex ijſque filios, ipſumque Hencium ſuſtulerit. hic autem Henricus ꝓrimo appellatus traditur; atque eundem aliqui Henricum; complures tamen Hencium ſcriptores nominant. illud etiam plerique addunt,Henricũ Germanico more Hencium appellatum:cuius tamen appellationis cauſam, quam ex monumentis colligere liceat,nullam attulerunt; quæ quidem eo magis fuerat explicanda, quo magis omnibus mirum eſſe videatur, Germaniam multos omni tempore Henricos edidiſſe,Hencium vero ante hunc, vel poſtea

nul-

nullum, de quo à ſcriptoribus mentio facta ſit, habuiſſe. Id igitur ex eo factum exiſtimauerim, quod Fridericus Imperator, duobus eiuſdem nominis ſuſceptis filijs (nouum hoc quoque, & inauditum, de quo tamen nemo dubitat) altero ex Maria Regis Aragonum filia, atque ipſius vxore;altero autem,de quo nunc ſermo eſt, ex nobili quadam; ne ita confuſum inter filios, & commune Henrici nomen perſonas item confunderet, ac permiſceret, alterum eorum Hencium Germanica lingua dici voluerit, atque eo pacto vtrunque diſtingui. Hunc vero in primis,& charum habuit,& regem Corſicæ, ac Sardiniæ conſtituit,atque e Lombardia profectus,mirifica adoleſcentis virtute confiſus, eum ſummo cum Imperio legatum, ad res Lombardiæ,ac ſuam præſertim factionem tuendam, ac ſuſcitandam reliquerat. Ad eum igitur cum Mutinenſium legati veniſſent,poteſtate dicendi facta,qui ætate, & auctoritate ceteris præſtaret,in hanc ſentētiam eſt locutus.

Si apud eum Regem, Mutinenſium legati oratum veniant, cui, Italicarum forte rerum ignaro,nihil de populorum ingenijs, & moribus, nihil de ſtudijs, & cupiditatibus adhuc eſſet exploratum;magna profecto, neque tamen à vero abhor-

rentia, de mirifico Mutinenſium erga imperatoriam, atque adeo tuam maieſtatem ſtudio, maiora de fide, & obſeruantia, maxima de officijs, atq; obſequio, eſſent cõmemoranda; quando Mutinẽſi populo iam diu conſtitutum fuit, idque ſæpius re comprobauit, pro vtriuſque veſtrum & dignitate, & amplitudine, vniuerſas opes, & uires, ac vitam denique ipſam profundere, &, ſi vſus venerit, tum eos ſecum agi præclare, exiſtimare. Sed quoniam orationem apud te noſtram, Hẽci Rex inuictiſſime, inſtituimus, quem multis iam antea annis in Italia ſummo cũ imperio verſatum non Mutinenſes modo, verumetiam quamplurimi Italiæ populi, & ſuum quaſi ciuem, & Regem agnoſcere videntur; qui tot Italorum concilijs, ac bellis non ſolum interfueris, ſed præfueris; qui propter acumen occultiſſima perſpicias; ea idcirco in medium afferre, nullum nunc eſt operæ pretium; cum Mutinenſes præſertim præclara potius facere, quam loqui, a maioribus didicerint. Hoc tantum (quoniam ita tempus, ac neceſſitas poſtulat) ſilentio minime prætereũdum, nos pro inſigni hac noſtra in te, ac Fridericum patrem voluntate, atque obſeruantia, tantis quotidie malis a Bononienſibus affici, tot incommodis conflictari; vt quæcunque ab inſolentiſſimis hoſtibus

inferri ſoleant calamitates, eas perpetuo omnes ſubire cogamur; quæ tametſi dictu grauiſſima, re quidem atrociſſima ſunt; ea tamen omnia æquo nobis animo perferēda exiſtimaremus, ſi noſtris opibus, & ſanguine tandem exhauſto, Bononienſium aliquando cupiditates expletas putaremus, clades noſtras amicorum, ac tua quidem felicitate penſaremus. At quis non intelligit Bononienſes ſupra quam nos ſumus petere? Quis nō videt cupidiſsimos homines, finitimis domitis gentibus, ac Romaniola iam fere ſubacta, id maxime moliri, vt per Mutinenſium ruinas, ad totius Lōbardiæ imperium, certam ſibi viam patefaciant? atque vt Cæſareum nomen vbique gentium aboleant? Dies potius, quam in hanc ſententiam verba nobis, atque exempla deficerent. pauca tamē ex innumerabilibus, nouiſſima ex recentioribus attingamus. Decreuerat pater tuus ſummus Imperator Fridericus, inimicorum iniurias bello perſequi, perfidiam vlciſci: Parmam ideo vna tecum obſidere inſtituit, urbem Victoriam omniū pulcherrimam extruere, aduerſus hoſtes egregie munire. tum Mutinenſes, eductis repente copijs, ex ſuo vetere inſtituto vobis prȩſto adſunt; ac tuis ſe caſtris, quemadmodum ipſe iuſſeras, coniungunt. Cum ſubito ecce ijdem Bononienſes,

quòd

quòd ſe id impune laturos animaduerterent, in deſertos agros irruunt, cuncta populantur, Badianum oppidum inuadunt, ac, nos vt ab alienis oppugnandis ad noſtra tuenda traducant, omnes neruos contendunt. accurrimus (ſic tibi placitũ fuit) hoſtium impetum retardamus. Verum illi non ſua quidem virtute, ſed multitudine ſuorum confiſi, eo inſolentiæ proceſſerunt, vt Badianum ipſum, exercitu noſtro, atque acerrimo Duce Icilino aſpectante, expugnauerint, euerterint; Montẽ longum, Sabinianum, aliaque oppida eodem curſu ceperint: inde veluti furijs agitati, ad Brixillum aduolant, pontem in Pado ad Cęſarianorum commodum maximo extructum labore occupãt neque ijs cõtenti, Colurnum progreſſi, magnam commeatus vim Parmam fame enectam introducunt: Parmenſium fractos, ac titubantes animos erigunt, atque ita confirmant; vt qui męnibus Vrbis circumcluſi paulo ante vix ſe ſe ſatis tutos eſſe conſiderent, mox in nos irrumpere, caſtra oppugnare, ac Victoriam vincere ipſam non dubitarint: Victoriam nempe, clariſſimum totius terrarum orbis, & tuum, & Cęſaris monumẽtum, Bononienſibus ipſis impellentibus, atque auxiliãtibus, expugnare, prętioſam ſupellectilem rapere, theſaurum exportare, coronam deniq; auferre

regiam auſi ſunt. At caue putes, Henci Rex fortiſsime, quicquam propterea Bononienſium virtuti eſſe amplius deferendum. noſtro hęc potius infortunio, ac felici inimicorum temeritate euenerunt. Cum ijſdem Bononienſibus nos ipſi toties congreſsi, dum alias bellum inferremus, alias illatum propulſaremus, victores sæpius, quam victi, e prælio diſceſsimus. Quid? nos ipſi Mutinenſes; tum præſertim, cum plus in bello virtus, quam fortuna poſſet; eoſdem Bononienſes crebro fugatos, caſtris exuimus, Carrocium inſuper ipſum, præcipuum victoriæ decus, abſtulimus. Quid igitur futurum exiſtimas, ſi cum tot fœderatarum ciuitatum populis, ſi cum delecta militum Germanorum manu, te ipſo duce, nobis haud prælium detrectãtibus, vno tempore, vni Bononienſi populo ſit decertandum? Aduerſus hos igitur tui, ac Cæſarei nominis infeſtiſsimos hoſtes, tanquam ad exploratam victoriam, auxilium tuum, ac fidem imploramus, vt communes vlciſcaris iniurias; ac iuſtum de ſontibus ſupplicium ſumas, obteſtamur. Non eſt diutius paruulis hiſce prælijs, obſcurisſque in locis tempus terendum; ſed quo præclara iſta virtus tua te maxime vocat, eo contendendum. non exigui oppidi ſterilem labo-
rem,

rem, ſed urbis opulentiſsimæ opes, & dominatum, belli præmia proponimus, aditumque in primis opportunum ad Imperium propagandum indicamus. Nam vrbs Bononia, via Aemilia prope Apenninum ſita, trium præſertim regionum, Hetruriæ, Romaniolæ, ac Lombardiæ fines concludit, imperium oſtendit, ea expugnata, cetera ex ſententia facillime ſucceſſura pollicemur; vt non ſolum acceptæ nuper cladis memoriam, hoc edito facinore, obruas, verum etiam eximiæ virtutis tuæ monumentum ſtatuas ſempiternum. Ad ea Hencius, cui Fridericus pater e Lombardia decedens, Mutinenſium præcipue commemorata in ſe fide, ſalutem commendauerat, benigne reſpondit: Mutinenſium beneuolentiam ſibi iam antea perſpectam, incolumitatem curæ in primis, & cordi eſſe. ipſis ſe breui affuturum, cōmunes iniurias acerrime vindicaturum. Gratijs Hencio actis, addunt legati, quę Hencius polliceretur, maxima quidem eſſe, ac maximo ſibi adiumento futura: Verum ſe non tam lætari, quod ea, quæ ab eo petijſſent impetraſſent, quam, ne vulgarentur, contendere ac laborare. prouidendum in primis, & pręcauēdū, vt Bononiēſes incautos adoriantur, ac ne ipſi, re uulgata, a Bononiēſibus opprimātur; rē tacitur-

turnitate ſupprimendam, celeritate conficiendā. Hencius itaque nuncios ad ſocias ciuitates confeſtim mittit, certum cuique militum numerum imperat, ac diem, qua omnes conuenire debeāt, præfinit; omnem belli rationem ſumma diligentia, atque occulto adminiſtrandam inſtituit. Ijs peractis, eadem, qua vſi fuerant, celeritate legati domum reuertuntur, & conſilio confeſtim conuocato, breui Hencium magnis cum copijs affuturum renunciant, omniumque animos ad ſpem eius aduentus erigunt. Ita ex conſilij ſententia bellum aduerſus Bononienſes decretum. Potiebantur ea tempeſtate Mutinenſes non modo, ac Bononienſes libertate, verum etiam omnes fere Italiæ populi. nam Magiſtratus ipſi creare, leges condere, iuriſdictionem exercere, conſuetudines, ac vectigalia retinere, atque imponere, ſocietates denique pro libito inire poterāt; neque Imperatoribus præter Foderum, Paratam (vt aiebant) ac Manſionaticum, quicquam amplius debebant. Erant autem tria hæc, certæ pecuniarum ſummæ, quæ tributi nomine venienti in Italiam Cæſari, aut commeatus, aut viarum reficiendarum, aut eiuſdem ſtatiuarum cauſa perſoluebantur. Ita a Carolo magno inſtitutum ferunt. Verumtamen Bononienſibus, vt Foderi, ac Para-

tæ

tæ nomine centum tantum denarios penderent conceſſum;manſionaticum ne ſoluerent,condonatum;iura inſuper,ac philoſophiam publicè interpretandi, & docendi antiquitus largitum; ad hæc ius monetæ cudendæ;quod ſingulare fuit;indultum. Ceterum in omnibus liberis ciuitatibus initio haud diſsimilis erat reipublicæ adminiſtratio.qui enim prudentia,virtute, ac diuitijs ceteris præſtarent, rempublicam gerebant.horũ vero tria fuere conſilia cõſtituta, vnum ſpeciale, alterum generale,tertiũ credentię nuncupabant; ſummus autem magiſtratus Conſules ijdem, & ciues erant.procedente tamen tempore a Conſulibus, ob ciuiles diſcordias, ad peregrinum Prętorem ille ipſe eſt delatus. Sed plebs neque vllo adhibebatur conſilio;quòd ferendi ſuffragia ius nullum haberet;neque ad concionem,niſi leuioribus de cauſis,a magiſtratibus vocabatur. Factũ tamen eſt,multis poſt annis,vt qui nihil legibus, vi omnia poſſent,dominatum occuparent,ac populum(vt ipſi appellabant)inſtituerent:huic præfectum,qui vulgo Capitaneus populi dicebatur, præeſſe voluerunt;Antianos pręterea,tum numero vigintiquatuor, Conſules argentariorum, & mercatorum, ac magiſtros artium crearunt. ſua quoque & ipſi conſilia habuerunt.quæ omnia diligen-

ligentiſsime Carolus Sigonius Mutinenſis in ſua hiſtoria eſt perſecutus. Atqui popularem reipublicæ adminiſtrationē, quæ haud ita multo poſt Hencianum bellum tum Bononiæ, tum in ſingulis penè Italiæ ciuitatibus haberi cępta eſt, amplam quidem tyrãnis inducendis viam aperuiſſe conſtat. ſi quidē populus, qui ex veritate pauca, ex opinione vero quamplurima pendit; dũ rectorem, quo maxime indiget, quęrit, dominũ potius inuenit. Eo modo libertatem amiſiſſe Mediolanenſes, Fauentinos, ac Veronenſes, vbi Reſpub. ex Turrianis, Manfredis, Scaligeriſque pependit, memoriæ traditum eſt. ita dominatum Piſis Gambacurtæ, Carrarij Pataui j, Malateſtæ Arimini, ſexcenti præterea alij alibi occuparunt. Sed iam vnde aberrauit oratio reuocetur. Bononienſes interea Mutinenſium legatione permoti; quamuis imminentis belli haud dubiũ ſibi allatum indicium exiſtimarent, certos tamen homines, ad rem quaſi notã explorandam, ante omnia mittere, ac ſibi ex Mutinenſium conſilijs capere conſilium ſtatuunt. Paucorum dierum interuallo defertur, Mutinenſium legatos ad Hencium miſſos, illum vero copias diligenter cogere, & comparare. tum nemini dubium fuit, quin eſſet bellũ cum Mutinenſibus, rege Hencio Du-

ce gerendum. itaque viſum eſt & impigre ipſum capeſſere, & præſtantem virtute, atque auctoritate Ducem, quem hoſtium Duci opponerent, deligere, ſocios ad arma ſollicitare, auxilia vndequaque arceſſere, atque contrahere. Erat per idem tempus Ferrariæ princeps Azo Ateſtinus, vir tum ſumma prudentia, tum rei militaris peritia maxime inſignis, Bononienſibus & amicitia, & ſenſibus in Republica Chriſtiana protegenda coniunctiſſimus. huic vni communem ſalutē recte committi poſſe, atque in eo victoriæ ſummā conſtare cenſent, ſi tantum Ducem tanto bello præficerent. Ad hunc igitur legatos extemplo mittunt, magnum ſibi ab Hencio, ac Mutinē ſibus bellum inſtare, Azonemque ipſum ſummo cum imperio Ducem creaſſe ſignificant; amicis ope, & conſilio ne deſit, obſecrant. Verum Azo quod incommoda valetudine teneretur, ſe excuſaſſe, atque imperatoris nomen ſibi à Bononienſibus oblatum recuſaſſe traditur. nihilominus auxilia ſe ipſis miſurum reſpondiſſe. Non me fugit, nonnullos tum fuiſſe ſuſpicatos, Azonem quamuis magni animi virum, illius tamen magnitudine belli commotum, valetudinem ſimulaſſe, & ne potentiſſimi hoſtis animum irritaret, Bononienſium ſpem idcirco ſefelliſſe. hæc, an de eo viro iu

re,an iniuria afferantur,quem bonum publicum priuatis commodis potius habuiſſe compertum eſt,quique Bononienſibus auxilia pollicitus fuerit,& miſerit,haud difficillimum(ni fallor)eſt iudicium. Reſponſo Azonis cognito Bononienſes nihilo ſegnius arma parare, quæcunque ad bellum gerendum opportuna præparare decernunt,atque vni Philippo Vgoni iterum Prætori ſummam imperij tradunt. quod ideo factum exiſtimo,ne inter plures belli Duces æmulatio,vt ſæpe contingit,inter pares, atque ex eo belli impedimentum oriretur. vnius vero imperium ciuis,Reipublicæ inuiſum,atque ſuſpectũ. tum vero omnes,tam virilis, quam muliebris ſexus,conferendæ in publicos vſus pecuniæ cupidi,arma,equos, aurumque Prætori detulerunt; atque inde militibus,quæ opus eſſent,large comparata. Cenſebatur ea tempeſtate Bononia auctoritate,& potentia inter principes Italiæ ciuitates; nam præter quam quod, Nonantulam, SanCæſarium,Vineolam, aliaque oppida in Mutinenſium finibus hodie ſita obtinebat; Duciam quoque,& Flagnanum,Ceruiam,& Imolam,Fauentiam,Bagnacauallum,Forum Pōpilij, & Forum Liuij in Romaniola poſſidebat. Hæc autem Pontificiæ olim ditionis oppida cum progre-

diente,

diente tempore factum eſſet, vt vel ipſa a ſummis pontificibus vltro defeciſſent, vel ab Imperatoribus vi fuiſſent occupata, Bononienſes non tam, vt ſuum propagarēt Imperium, quam vt Eccleſiæ ademptum recuperarent, eamque in priſtinū ſtatum reponerent, armis ſubegerant. magnā ij præterea ex potentioribus Italiæ ciuitatibus partem amicitia, beneficijs, ac fœdere obſtrictas tenebant; qui denique populi ſummi Pontificis rebus fauerent, ijdem Bononienſibus fauebant. Nam vnus veluti morbus tunc inuaſerat omnes Italiæ vrbes, manabatque in dies latius; vt alij Gibellini, alij Guelphi dicerentur; ij ſummis Pontificibus, illi Imperatoribus ſtudebant. Horum initia malorum, quorum finem videre tēporibus quoque noſtris exoptare potius liceat, quam ſperare, altius repetenda cenſeo; ſi forte iterum, ac ſæpius perſpecta inſigni turpitudinis, ac dementiæ nota, quam deteſtantur omnes, perpauci abolere nituntur; ſapienter non minus, quam religioſe ex mentibus euellendam, atque obliuione ſempiterna conterendam tandem aliquando conſtituamus. Poſtquam Romanorum Imperij ſede Bizantium tranſlata, Cæſarum abſentia, vel ſocordia, atque adeo temporum iniquitate acciderat, vt domina gentiū Italia, cunctis Barbarorū in gē-

tibus ludibrio eſſet;neque ſummi Pontifices;qui bus præter ſanctum,ac bonis verendum nomen, nihil quicquam ſupereſſet;tantarum molem cala mitatum ſuſtinere , ab Italorumque ceruicibus depellere potuiſſent; deletis ad extremũ Gothis, & Hunnis,& Vandalis profligatis , Longobardis vero vel extinctis,vel quaſi ciuitate donatis,tanta communis ſalutis ſpes oſtendi videbatur,vt in antiquum poſſe reſtitui ſtatum quandoque putaretur;Cum ea ipſa Italia,quaſi in morbum, ac mentis ęgrotationem delapſa,inſanire ſubito,& furere,atque in ſemetipſam ſæuire cæpit, neque propria dilacerari membra prius horruit, quam ſeſe funditus perdidiſſe cognouit,cauſam huiuſmodi malorũ,Imperatoribus ipſis offerentibus;qui poteſtatem,atque imperium a ſummis Pontificibus ſibi delatum,ad Eccleſiæ dignitatem maxime tuẽdam,atque amplificandam, in eorundem Pontificum perniciem contra ius, faſque vertentes,omniaque diuina,& humana iura polluentes,ac peruertentes,Italiam multos annos vexauerant, atq; vt in duas diſtraheretur partes,effecerant ; altera Pontificalem tueri dignitatem,atque augere,altera infringere,ac delere pręſertim elaborante.
Hinc memorata illa,perpetuoque damnata Guelphorum,ac Gibellinorum nomina;quæ in Hetru

ria primo(vt circunfertur)audita; deinde ſerpente lõgius calamitate,vniuerſas vrbes Italiæ,& domos,& familias denique ipſas aggreſſa,eadem labe,ac pernicie aſperſerunt,ac non tantum afflixerunt,verumetiam ne quando recreatæ ſe erigere poſſent,funditus ſuſtulerunt.Neque enim mortalium genus,vlla quãuis importuniſſima fame enectum,vel tęterrima peſte confectũ, alioue luctuoſiſſimo vexatum bello, tam miſera, ac miſeranda pertulit,quam ea,quæ vrgentibus huiuſmodi factionibus,omnium plena ærumnarum,cladiũ, & calamitatum,Germania primo tantorũ(vt rumor eſt)parens monſtrorũ, mox altrix Italia multis iã ſeculis perpeſſa eſt;vt non iniuria affirmãdum ſit, ſolos Italos;(pace ipſorum dictum ſit)plura Italis mala per ſummam dementiam,quã ceteras quaſcunque nationes,per ſcelus,ac latrocinium, ſibi ipſis attuliſſe;peioraque in dies allaturos, ni mentis aliquando compotes, maiorum æmulari virtutẽ, quam vitia, ſtultitiamque imitari,Diuis,hominibuſque approbantibus malint. Hoc igitur modo diuiſis Italorum ſtudijs, præter magnã Hetruriæ partem, Cremonenſes, Papienſes, Veronenſes, ac Mutinenſes ab Imperatore Friderico ſtabant: Icilinus præterea, deuictæque ab eo ciuitates cum eodem ſentiebant. At ſummi Pontificis

tificis partium erant Mediolanenſes, Brixiani, Parmenſes, Ferrarienſes, ipſi que in primis Bononienſes, Romaniola inſuper, ac Marchia ferè vniuerſa: Ad hæc Eccleſiæ ſtudebant potentiſſimi Italorum Veneti, ac Genuenſes; qui tamen Henciani potius belli ſpectatores, quam Bononienſiũ adiutores eſſe voluerunt; ceteris autem ex partibus antea memoratis, equeſtres, pedeſtreſque copiæ Hẽcio, ac Bononiẽſibus miſſæ: quot vero ab vnaquaque ciuitate fuerint ſigillatim contributæ; quod ſcriptores recenſuiſſe non inuenerim, tacitũ prætaribo. Ab Azone tamen Ateſtino tria Equitum millia, duo peditum Bononienſibus miſſa non ambigitur, atque Hencium Regem, ac Mutinenſes, quindecim Italorum, ſeptem Germanorum millia; Bononienſes autem; quod oppida, ac propugnacula Mutinenſibus obiecta communiſſent, ac recenti præſidio confirmaſſent; viginti tantũ millia in armis habuiſſe memoriæ proditum.

Cum itaque ſumma Bononienſium, atque amicorum diligentia factum eſſet, vt citius ipſorum copię, quam Hencij, ac Mutinenſium vna conueniſſent, ad Rhenumque via Aemylia caſtra poſuiſſent; Philippo Vgone prætore, ac Duce, Octauianoque Vbaldino Cardinali, Bononienſium Epiſcopo, atque eodem ſummi Pontificis legato, Bononien-

nonieſes conſilium conuocant,rationemque bel li gerendi communicant. Re in diſceptationem vocata,alij in Mutinenſium fines mature contendere, atque eo bellum transferre,ad laudem illuſtrius eſſe putant; alij furentis impetum hoſtis domi perferre,atque eludere,præſtabilius exiſtimāt; cum ij maxime aſſererent,ſibi neque mirum videri,ſuam quaſi a Bononienſium virtute alienā, improbari ſententiam,quod nihil item,ac pax a belli ratione diſiunctum eſſe videretur, nihilque tamen magis,ſi res diligentius inſpiceretur,quā pacis artes bella conficere;idque magni ſemper fructus,immenſæ gloriæ habitum eſſe. Quis enim ad hoſtium cædes optimo properandum Imperatori potius putaret,quam ad ſuorum ſalutem tuendam,neruis omnibus contendendum? pręclariſſimā omnium eam eſſe victoriam, quæ ſine ſanguine parta eſſet, ingenij,non autē corporis viribus, recte conſtitui;proprias namque tueri iures, atq; augere,inimicorum imminuere,ac debilitare,nō ſolum optimi eſſe conſilij,verum etiam principes exploratæ victoriæ partes.quæ omnia Bononienſes,facillime conſequi poſſent,ſi ciuitas ipſos,ipſi vero ciuitatē,maxime cuſtodirent,ac militibus mænium propugnacula,męnibus virtutem militū cumularent,armis atque armatis, vrbis muros

oppo-

opponerent; ita hoſtium ferociam comprimerent, frangerent; ſatis uincere Bononienſes, ſi prouiſum eſſet, ne uincerentur. Specioſiora laudare, tutiora ſequi, ſapientem uirum, ac Reipublicæ ſtudioſum oportere. quæ tam etſi omnibus ſatis eſſent perſpicua, nouiſſimo tamen, ac præclariſſimo Parmenſium exemplo, multo etiã fieri clariora; qui cautioribus uſi conſilijs, atque urbis mænibus tantummodo ſæpti, ceteris rebus fere omnibus deſtituti, fortiſſimum Imperatorem, atque adeo ſexaginta hominum millia, ſuperaſſent, deleuiſſent. Cuius quoque rei quamuis nullum afferri poſſet exemplum, neque id ulla belli ratio poſtulare uideretur, imminẽs tamen à maximo Rege periculũ expoſcere quidẽ, ac perſuadere. Vrbẽ egregie munitam; ſubditos erga ipſam optime affectos populos, omnia denique domi opportuna Bononienſibus eſſe; è contrario difficillima in alienis finibus quæcunque futura. Poſtremo in primis eſſe cauendum, ne quã ſibi iniuriã inferri à Mutinenſibus quererentur, ac forte ſine cauſa timerent, eã ipſi Mutinenſibus iniuſte inferrent, ac præcipiti feſtinatione, multorũ animos alienarent. famæ profecto, & fidei dãna longe maiora, quã quæ æſtimari poſſent. Patriæ itaque muros callide hoſtibus

oppo-

opponendos, atq; inde ruinam ipſis ſtruendam ciuibus q; incolumitatem egregie præſtandam videri. Contra alij non ea in bello conſilia, quæ periculo vacua cenſerentur, eſſe expetenda, ſed quæ Reipublicæ dignitatem ſuſtinerent, ſplendorem augerent. qui enim incolumitati ante omnia conſulendum putaret, id q; optimum duceret, is neq; infamiam ſubire, neq; ſeruitutem ſeruire turpe exiſtimaret. Atqui nimiam priuatis in rebus adhibuiſſe cautionem, nunquá laudabile, in publicis vituperabile, ac pernicioſum ſemper extitiſſe: nimirum viris fortibus omne ſeruitutis pretium ingratum eſſe; præclaris vero conatibus paruas amplificari ciuitates, maximas ignauia labefactari. Quando igitur ab ijs bellum immineret, quos ſæpius acie ſuperaſſent, quis certa timoris indicia oſtendere, ac ſigna patefacere, non ſibi, ac patriæ exitioſum, ignominioſum q; iudicaret? An domi manere, & galli more pugnare, magnificum eſſet, ac glorioſum? An patriæ idcirco mænia cuſtodire oporteret, vt tuto, ac ſine metu agros inde vaſtari, ædificia incendi, cuncta impune diripi proſpectarent? Sic igitur Ciuitatis amplitudinem, ſic illuſtre maiorum nomen Bononienſes tueri? viribus, ac viris, non vrbium tectis bella

 geri,

geri, & confici; pacis vero artes tum demum in bello prodeſſe, ſi conſilium manibus, manus conſilio iuuarentur. neutrum ab altero ſeparare, optimum decere Imperatorem; qui tamet ſi ſuos ſaluos vellet, mori tamen mallet, quam dedecus admittere. exemplis porro adduci ad deliberandum ſummis de rebus periculoſum. Cęterum Parmenſibus malis omnibus, quæ longa obſidio ne pati neceſſe fuiſſet, conflictatis, ac prope confectis, opportuna amicorum auxilia, atq; adeo inimicorum dementiam in tempore ſubueniſſe, victoriam attuliſſe. quicquid tamen in re hac eſſet controuerſiæ, maximos Romanorum, & Carthaginienſium Duces diremiſſe, cum alter ex Africa, atq; ex vltimis Hiſpaniarum terris bellũ aduerſus Romanos in Italiam traduxiſſet; alter nunquam ferociſsimum hoſtem inde auelli, aut bellum confici poſſe ſperaſſet, ni cor ipſum, ac ſedem inimicorum Chartaginem petijſſet. At Bononienſes, ne iniuſti forte viderentur, ſi priores ipſi Mutinenſes aggrederentur, vereri? ſcrupulum ſcilicet valde magnum iniectum. Quid? Mutinenſium adhuc ſpiritus ignorarent, quam ad bella inferenda prompti, quam ad tractanda fortes, ac firmi? Vtrum feciales rectius bellum, an Mutinenſium legatos, planius,

atq;

atq; apertius denunciaſſe arbitrarentur? Quare ne committerent, vt quæ acribus initijs cœpta eſſent; incurioſo fine (quod in publicis plerunq; rebus accideret) gererentur; & quam in apparando bello celeritatē adhibuiſſent, neq; honeſte, neq; vtiliter inhiberent, militum ardorem reſtinguerent, victoriam corrumperent. Bellum itaq; ſi ſaperent, patria procul gerendum, ac manum cū Mutinenſibus primo quoq; tempore conſerendum. Dictis ſententijs, atq; ea, quæ magis niteretur ad gloriam, comprobata, Carrocium in primis educendum decernunt; quod non niſi maximis in bellis, & conſilij decreto fieri conſueuit. Hunc currum ingentem fuiſſe, à vulgatis curribus abhorrentē, eleganti artificio factum, ſcriptores memorant; grandioribus quidem rotis, axibus q; firmioribus ſuffultum, in quo antenna præalto in malo ſuſpenſa, vexillum Ciuitatis inſigne quaſi vela pandebat; in ſummo crux aurea erat; purpurea veſte Carrocium, & boues Carrocium trahentes ſternebantur. milites amplius mille, & quingenti, omnium fortiſsimi ad eius cuſtodiam deligebantur, ij inſignes geſtabant Alabardas, lorica, atq; ocreis ferreis muniebātur, ipſi autē prȩerat vir, & vi corporis, & animi virtute cum pri-

mis conſpicuus, qui lorica pariter, & enſe, atq; aureo balteo virtutis ergo donabatur, ac publico inſuper ſtipendio decorabatur, præter illorum temporum conſuetudinem; nulla enim tum erat Italiæ ciuitas (vt Blondus auctor eſt) quæ Italis ſtipendia penderet; ſed ſinguli populi inter ſe centuriati ſuæ munera reipublicæ gratis obibant; haud ſecus auxilia ſocijs gratuito mittebant. At Carrocium, quòd totius exercitus caput cenſebatur, comitabatur ſacerdos, cum rei diuinæ faciendæ gratia, tum ijs ſacra miniſtrandi, quibus opus eſſet. Omnibus itaq, ad profectionem comparatis, ac diligenter præuiſis, Bononienſes in Mutinenſem agrum contendunt, atq; ibi bello certare ſtatuunt. Lombardiam Scultenna flumen à Romaniola, itemq; Bononiẽſes à Mutinenſibus diuidit, difficili vbiq; tranſitu, ripisq; tum præſertim præruptis, quòd vtriq; populi ea ſe munitione tutiores arbitrarentur. Oritur ex Apennino monte, in Septentrionemq; tendens, in Padum influit. Hunc quindecim millium ligurum cæde olim nobilitatum Liuius tradidit. Eo Bononienſes cum veniſſent, ab ijs, quos præmiſerant, exploratoribus fiunt certiores, Hencium Regem expeditione Bononienſium comperta,

perta, ingenti multitudine, ac fiducia, citato agmine aduentare vna cum Mutinenſibus, eo conſilio, vt confeſtim ipſos prælio laceſſeret, & ſi forte in tranando flumine occupatos reperiret, impeditos adoriretur. Viſum eſt igitur, ne iniquo loco pugnam inire cogerentur, ad Scultennæ ripam cis flumen conſidere, ibiq; hoſtium aduentum expectare; &, ſi ipſi flumen tranſire conarentur, de loco ſuperiore hæſitantes premere. Vbi igitur in eo loco caſtra feciſſent, & eorum latus alterũ ripis fluminis munitũ foret, ac poſt Bononienſes quæ eſſent, ab hoſtibus tuta redderentur, omnia quoq; vt ſine periculo ad eos comportari poſſent, effectum eſt. Interim ſpeculatoribus omnes aditus tum ſibi, tum hoſtibus opportunos ad flumen tranſeundum, ſcrutari, atq; obſeruare imperant. Ceterum Hencius, cum paulo poſt aduenisſet, Bononienſesq; in altera fluminis ripa ad dimicandum paratos conſpexiſſet; caſtra caſtris conferre, prælioq; ſuperſedere ſtatuit. Poſtridie eius diei copiæ ab vtraq; parte pro caſtris cõſtitutæ, neq; loco motæ ſunt; ambo hoſtem, ſi traiiciendi fluminis initium faceret, expectabant, atq; vt in tempore aggrederentur, in acie ſtabant.

Verum neq; eo die, neq; inſequentibus nonnul-

lis,

lis,niſi minutis equeſtribus prælijs,ad aquam pugnatum eſt. Vbi vero Hencius iiſdem artibus, quibus ipſe Bononienſes peteret, ab ipſis ſe peti animaduertiſſet; neq; in locum iniquiorem eos progredi pugnandi cauſa vidiſſet, quod palam aſſequi ſe poſſe diffidebat, occulte tentandum ratus, flumen omnino tranſgredi, ac manu cum Bononienſibus confligere deliberauit.
Delectis itaq; ex Germanorum,ac Mutinenſium cohortibus, qui maximam virtutis opinionem haberent, ac ſecum aſſumptis; de tertia vigilia, ſummo ſilentio caſtris egreditur, atq; eum locũ montem verſus petere contendit, vnde vado tranſmitti facile poſſe audierat. reliquum exercitum in armis eſſe, &, cum ipſe hoſtes à tergo adoriatur, à fronte inſtare,atq; opprimere imperat. Cum autem in via eſſet aliquantulum progreſſus, fremitu equorum, cuſtodijs,quę Bononienſium iuſſu in fluuij ripis deliteſcerent, ſuſpicione illata, Hencij conſilia detegunt, ad ſuos q; confeſtim deferunt. At Bononienſes, qui fluminis item trãſeundi occaſioné ſibi dari exoptaſſent, ac fruſtra ſæpius quæſiuiſſent, id Hencium haud ſecus tentaturũ ſuſpicati, tertiam idcirco militum parté ad repentinos hoſtium motus prohibendos vigilare, atq; armatam excubare

re iuſſerant. Quare equitatu præmiſſo, qui Hencium aduenientem moraretur, expeditos milites extemplo ſubſequi, ac reliquos armari imperant. Iam Hencius copijs traductis, bonæ ſpei, atq; animi plenus, ad Bononienſiũ caſtra maturabat, exiſtimans eos facile opprimi poſſe; cum repente hoſtium equitatum adeſſe, atq; in ſuos impetum facere nunciatur. Is tam & ſi ad prælium cõmittendum, alienum eſſe tempus exiſtimaret, quod maiore ſui exercitus parte ſe nudatum videret, magno tamen animo, Germanorum præſertim virtute confiſus, pugnam inire nõ dubitauit. multi primo cõgreſſu vtrinq; cæduntur, magnus idcirco Hencianis timor iniectus, quod ſe fere inopinato ab ijs vrgeri perſpicerent, quos omnino incautos inuadere cogitaſſent. mirabundi vnde tot hoſtes, tam ſubito exorti, quomodo tam in tempore affuiſſent, fortiter tamen reſiſtere, atq; acriter pugnare. Germani ex ſua cõſuetudine phalange celeriter facta, hoſtes ſtrenue excipere, ac nimiũ feriendi auidos grauiter vulnerare: Cum Bononienſium pedites de improuiſo adſunt, ac magno clamore ſublato, in hoſtes impetum faciunt. Hencius vbi hoſtiũ numerum augeri, ſuos vero perterritos vbiq; premi cõſpicit, eos hortatur, vt ad pro-

propiores fluminis ripas ſe paulatim recipere conentur. quod iuſsi ſunt, facere nituntur, verũ omnia tardius, ac timidius, quam oporteret, exequuntur. Interea Hencius præſenti animo agmen circumire, fortiſsimũ quenq; ac ſibi notũ appellare, vt vna ſecũ in primam aciem procederent, hoſtiumq; impetus ſuſtinerent, hortari, atq; obſecrare; ſatius eſſe aliena mori virtute, quã proprio metu ſuccumbere; ceteros autẽ regredi, in alterã fluminis ripã, atque ibi conſiſtere clamitat. dum itaq; alij fugientibus ſimiles cedunt, alij ſegniter ſubeunt, tota acies turbatur, omnibusq; in locis trepidatur. Tum Bononienſes acrius inſtare, hoſtesq; magis vrgere cęperũt, pauci repugnantes interfecti, multi e ripis præcipitati, nonnulli dum flumen tranare contendunt, vorticibus aquarũ abſorpti perierunt: plures tamen ad vlteriorem fluminis ripã incolumes euaſerunt. Hencius poſtquam in cohortandis militibus, Imperatoris, in pugna, militis officia præſtitiſſet, omnium fere poſtremus ſuos trans flumen ſubſequitur, fugientes remoratur, atq; vt ex loco ſuperiore ſubſiſtãt, ac ſaltem pugnantium ſpeciem prębeant, ſingulos obteſtans, vix tandem aſſequitur. Bononienſes hoſtibus expulſis, loci iniquitatem,

atq;

atque inimicorum inſidias veriti ; nondum luce præſertim exorta ; finem eorum perſequendi fecerunt,ac læti pugnæ euentu ſeſe in caſtra rece perunt. Eo die captos Hencianos milites ad quingentos, centum interfectos, complures inſuper flumine extinctos, Bononiēſium vero no naginta deſideratos, relatum in annalibus reperio. Hencius æger animi, atque ira incenſus,quòd neque conceptæ iam ſpei,neque conſilijs ſucceſſus reſponderent,grauiter in primis de Germanis queſtus dicitur; videre quidem multa Germanorum corpora, qui ſe toties bellicæ uirtutis præſtantia tantopere extuliſſent, Italos depreſſiſſent;at Germanorũ animos in ijs non agnoſcere.Vtrum hoſtes,an ſeipſos temporis momento ignoraſſent,atque obliti eſſent? an veterē belli gloriam minis inaniter oſtentare, potius, quam armis, tueri egregium ducerent? Nunquid ex remotis orbis terrarum partibus in Italiam idcirco veniſſent, vt ne vultũ quidē hoſtium aſpicere auderent,Imperatorem deſerendum putarent?id ipſis denunciare, atque edicere,quam Germano nomini turpitudinis notam inuſſiſſent,eam omnino delendam conſtituerent; Imperatorique, ac patriæ, uel decora morte, uel inſigni parta victoria, ſatis ſeſe facturum, Tum clamor inde

exortus,ut ueniam præteritorum daret, ſuorum animos cum vellet experiretur; omnibus uincere, vel occumbere iam eſſe conſtitutum: Tunc pleriſque affirmantibus præclarum aliquod facinus edendum, & cunctis idem confirmantibus, Hencium maxime, ac Germanos dolore ad depellendam ignominiam concitante, alij cum omnibus copijs flumen traijciendum, atque extemplo cum hoſte confligendum, alij potius trãſeundi poteſtatem Bononienſibus faciendam, atque æquo marte dimicandum cenſebant; non defuerunt, qui Bononiam ipſam occulto petendã, ſpoliatamque defenſoribus confeſtim oppugnandã dicerent; idque longe omnium pulcherrimum ducerent; pluraque huiuſmodi alia magnifice magis, quam commode iactarent. tandem Nonantulam, flagitantibus maxime Mutinenſibus, quamprimum contendere, atque eam oppugnare omnium ſententijs decretum eſt. Aberat id oppidum tria circiter paſſuum millia, patenti planitie poſitum. nullis omnino munitionibus, nulloque præſidio firmatum ſpeculatores retulerant, ad rem conficiendã celeritate, ac ſilentio, potius quam viribus opus eſſe prædicauerant.
Quibus Hencius adductus, ſe oppido facile potiri, atque inde aliquam dimicandi occaſionẽ nã-
ciſci

ciſci poſſe ſperabat. diſcedens ſuis imperat, ne ſe abſente belli fortunam tententʒ ſi hoſtes flumē tranſire conentur, id tantum prohibeant. Multa igitur nocte cum delectis militum cohortibus iter aggreditur; ac, ponte ex cymbis ante prouiſis celeriter facto, e regione Nonantulæ copias traducit, præſidium ad vtranque fluminis ripam diſponit; ipſeque ad ſitum oppidi ſpeculandum proficiſcitur; quo poſtquam peruenit, locū longe aliter, quam acceperat, & mœnibus ſęptū, ingentique, & latitudine, & profunditate foſſa circundatum videt; Firmum præterea intus eſſe prę ſidium non ſolum ex captiuis cognoſcit, verumetiā ipſemet experitur, diſpoſitis per mænia propugnatoribus in eum tela conijcientibus. Viſum propterea mittere, qui ex propinquo oppidanorum animos tentarent, ſuaderentque vt amicitiā Regis, ac Mutinenſium potius, quam vim experiri vellent. quod cum fruſtra factum eſſet, Nonantulanis nihil pacati reſpondentibus, longam oppugnationem; quod nihil præter arma quiſque in expeditione tulerat; ac difficillimā ratus, quāuis, & diſcedere irritum ſpei, & morari æque puderet; credulitatem tamen nimiam celeri pœnitentia caſtigare, atque ad ſuos quamprimum reuerti decreuit, exploratoribus quod palam men-

titi eſſent, ſupplicio affectis. At Bononienſes ſimulatque Hencium, quaſi Nonantulam oppugnaturũ, flumen rurſus tranſire cognouerunt, ac loci munitione confiſi, nihil ea re timendum cenſuerunt, conſiliũ pro re nata capere inſtituũt; collectiſque repente vaſis, quo Hencius loco flumen primo traiecerat, ipſi pariter vado traijciũt, & Mutinam verſus ire, & prælij quãprimum conſerendi occaſionem arripere ſtatuunt; Nam paulo ante, quingenti equites, ac pedites trecenti, Hencio miſſi fuerant a Friderico Imperatore, increbueratque rumor, Conradum Hencij fratrẽ cum valida Germanorum manu aduentare; ſtudioſoſque Cæſarei nominis copias vbique comparare, quæ ſi cum Hencij exercitu coniungerentur, rem in maximum adduci diſcrimen Bononienſes intelligebant; atque ideo pugnã ſine mora conſerendam cenſuerant. Haud fefellerat nocturnus Bononienſium diſceſſus Hencianos, at quo pergerent, nocte nõdum exacta, cum neque ipſi perſpicere poſſent, neque abſente Imperatore, caſtra relinquere tutum ſatis eſſe conſilium arbitrarentur, rẽ tamen acute conijciunt, ac ſtatim Hencio ſignificant; omnes interim arma expedire, ac profectionem, cum opus ſit, parare iubent. Redeunti igitur Hencio, ac iam ca-

ſtris appropinquanti, eodem tempore, & hoſtes diſceſſiſſe,& ad Mutinam iter direxiſſe nũciatur. Tum ferox adoleſcens,quamuis re noua commotus,plurimum tamen gauiſus dicitur,quaſi iã animo victoriam conciperet;hoſtes,quibus cum ſæpius ęquo loco pugnare fruſtra cõcupiſſet, vltro oblatos dictitans, ſe conſtrictos tenere, neque e manibus dimiſſurum. Cum igitur in caſtra ueniſſet,arma milites arripere,ad pugnam animos, & ad victoriam parare, ac ſe confeſtim ſequi imperat; citato que agmine,ad foſſam, vti appellãt, altam Bononienſibus occurrit. Is locus à flumine paſſus mille, a Mutina duo paſſuum millia diſtat. Namque Bononienſium Dux, quòd ſibi Hencium extemplo occurſurum coniectura prouidiſſet;vbi paſſus mille à flumine abfuit, exercitum conſidere, omnes corpora curare, & cibum capere iuſſit. Eo itaque tanquam ex condicto cũ exercitus vtrinque inſtructi perueniſſent, magno animo prælium inierunt. Germanis,vt in fronte diſponerentur,flagitãtibus conceſſum; ijs Hẽcius fortiſſimum quenque attribuit, vt ſuę ſcilicet quiſque virtutis teſtem haberet: Sagittarios in vtroque cornu, turmis equitum adiectis collocauit;alteri Boſium Douariam Cremonenſium,alteri Vidonem Seſſium Regienſium Princi-

pem præfecit; in media vero acie cum ſociorum copij·,ac Mutinenſium parte ipſe cor ſtitit; præſtantiſſimos autem cuiuſque ciuitatis,ad ſubſidiũ quocunque opus eſſet, ferendum, relinquit. At Bononienſium Dux,vbi Hencium ad certamẽ paratum adeſſe cognouit; Germanis,Bononienſes ſocijs admixtos, ac ſagittarios cũ parte equitatus oppoſuit; dextrum cornu Antonius Lambertacius, ſiniſtrum Ludouicus Hieremia tenuerunt,ſtrenui,ac fortes viri; ipſe mediam aciẽ contra Henciũ ſibi delegit;præterea ex delectis equitum turmis,atque vna quatuor peditum millibus adiunctis, ſubſidiariam aciem inſtituit; ijs quid fieri vellet oſtendit; monuitque eius diei victoriã ex ipſorum maxime virtute, atque induſtria conſtare;ſuos vterque Imperator paucis cohortatur. Hẽcius varia oratione,vt cuiuſque animis aptior eſſet,milites alloquitur;Germanos, vt quam male pugnando notam ſubijſſent, ad eam delendam toto pectore incũberent; ſua cuique dextera aut iniuriarum vltionem,aut finem pareret;eos mortem effugere,qui contempſerint,metuentes conſequi;ignauis turpe exitium, fortibus victoriam, aut præclarum obitum proponit; auxiliares quẽ ad finem veniſſent,in memoriam redigerent;incẽdium illud reſtinguerent; quod ſi latius progredi

pate-

paterentur, impetum ad eorũ domos breui eſſet factum. Mutinenſes, ſi patriam, ſi vxores, ac filios, ſi priſtinam belli gloriam tueri, quam dominos habere mallent, ne committerent, vt ij, quos ſæpius ſoli ipſi bello ſuperaſſent, tũ ſe Duce, totque fortiſſimis auxiliantibus copijs, victores diſcederent, victis ſeruitutem, ac propinquum excidium, victoribus magnum imperium oſtẽtat, maioraque periculis præmia. Atqui Bononienſium Dux, ex aduerſo hoſtium ordines conſpicatus, vultu admodum læto, ex ipſis quærere, num vidiſſent aduenientes Germanos, atque eos eſſe meminiſſent, quos antea ad Parmã, nuper ad Scultennam profligaſſent? num illis coniunctos pariter Mutinenſes aſpicerent, e quibus tot præclara victoriæ monumenta reportaſſent? minorem eſſe apud victos animum. vtrum quidquam ab ipſis timendum? an ab adoleſcente Imperatore, qui nihil præter genus, & coniunctam temeritati ferociam, in prælio afferret, inimicis potius quã amicis profuturam? ſe quidem perſpicere hoſtes recenti præteritarum cladiũ memoria perterritos, ſecuritatẽ tantum, & fugam ſecum animo cogitare; Deum optimum maximum, Diuos que omnes à meliore ſemper cauſa ſtare, & pro Eccleſię, Summi que pontificis dignitate pugnantibus propi-
tios

tios eſſe,ac fautores,oppugnantibus infeſtos,atque iratos:breui quidem hoſtes maximum ſpretæ religionis documentum cunctis futuros.irent alacres, in uenientes inuaderent,victores quam primum redituri. Signo itaque pugnæ dato, atrox,& cruentum eſt initum certamen; Germani namque, vt maculam ſuperiore prælio ſuſceptam,virtute delerent, graui vſque adeo impetu concurrerunt,vt veluti furore cæci,atque amentes in vulnera, ac ferrum ruerent,multique vtrinque caderent: haud ſecus Mutinenſes diſtrictis gladijs acriter inſtare,hoſtes aggredi,& ferire,ac victoriam conclamare cæperunt. Verum Bononienſes aduerſus hoſtium impetus pertinaces, multis acceptis, atque illatis vulneribus, cæde primorum audaciam inſequentium aliquantulũ repreſſerunt.nemo tamen adhuc alteri cedebat, ſed in veſtigio quiſque ſuo inſiſtere, mori potius, quam pedem referre obſtinatus. Eodem quoq; tempore ingens equorum,atque equitum edebatur ruina;alij ad pedes hincinde deſiliebant, ſuffoſsiſque equis,atque equitibus deiectis,aduerſarios interficere conabantur;alij poſt fractas,abiectaſque haſtas,ferreis clauis cominus pugnabant tãto omnium ardore;vt victor quilibet, ac victus videretur;cum Mutinenſes præſertim ſuos vbiq;

manu,

manu,& hortatu iuuarent, nullumque pro victoria obtinenda periculum recuſarent. Atqui Germanorum corpora,quo magis cōſpicua magnitudine, eo magis vulneribus obnoxia; multi idcirco viri fortes ſagittis confoſsi periere. Horribilis interea armorum ſonitus exaudiebatur,gemitibus morientium mixtus;eorum fulgor puluis, clamor, tubarum ſtrepitus, proſpectum oculorū, atque vſum aurium abſtulerat. Enimuero Hencius decora proceritate, & vi corporis inſignis,ſuos non modo oratione, & adhortationibus,ſed egregio verę virtutis exemplo accendere,atque excitare,cunctis in locis adeſſe, quæ opus eſſent,opportune prouidere.delecti eum milites ſequebantur,nobilitate, ac virtutis opinione præſtantes: eminebat tamen inter omnes ipſe, armorum non modo ſplendore, & corporis ſpecie, quibus ceteros ſuperabat, verumetiam magnitudine animi,quo vno inuictus fuit. Viderat Antonium Lambertacium Rex acriter pugnantem;Germanos que vehementer vrgentē, ſæpiusque aggredi fruſtra conatus, multitudine ſuorū, atque hoſtium impeditus adhuc arcebatur; cum cæſis compluribus, & repulſis viam ſtrage hoſtiū ſibi aperuit,atque in eum tandem impetum fecit. Antonius tanti hoſtis aſpectu nequaquam terri-

tus,dum Regem haſta petit, equum vulnerat, ac proſternit;tum vero Bononienſes,atque Henciani, magno clamore ſublato, hi ad Regem tutandum,illi ad feriendum, capiendumue vndequaq; accurrunt; accerrima itaque, ac maxima ibi editur pugna, cum propter ſalutem Regis, atque in ipſius conſpectu complures,ſui immemores, nullum periculum recuſarent,ac mortem quoque occumbere egregium ducerent, ex aduerſo alij vel cæſi, vel capti Regis decus pertinaciter expeterent; ita,vt qui maxime defenderetur, is minime omnium tutus eſſe videretur. Victa itaque oppugnantium pertinacia,Hencius in alterum equũ eſt ſublatus, ac prælium inſtauratum, vt magno vtriuſque exercitus animo;nec minori conatu res hactenus gereretur,viribus prope paribus,nec diſſimili ſpe, ac metu. propriæ namque cauſæ Hencianos maxime ſtimulabant, cum Germani pro antiquo decore, ſocij pro ſtudio partium, Mutinenſes pro augenda dominatione certarent. At Dux Bononienſium, cum inclinante iam die, incertum adhuc prælij euentum perſpiceret, ſubſidiariæ aciei ſignum dedit. *illi* celeriter, vti iuſſi erant,procurrerunt,ac longo ſatis circuitu confecto, in hoſtium latus apertum incurrentes, ſuis animos addiderunt, hoſtibus ademerunt. ad eorum

rum itaque conſpectum, & animi Hencianorum labare, & Bononienſes acrius pugnare cęperunt; ita magna rerum commutatio eſt repente facta; quod pericula quanto magis inopinata, tanto maiora accidunt. nec mora. Bononienſes ipſi perculſos adoriuntur; ibique tandem initium fugæ factum. Quippe paratum Mutinæ perfugium, complurium ſaluti profuit, omnium vero mirifice obfuit; nam quanto plus ad effugium ſpei, tanto minor erat ad reſiſtendum animus. adhuc tamen qui in prima Mutinenſium acie dimicabant, pugnam ſuſtinere; clamore autem poſt terga iterum, ac ſæpius audito, & quid nam eſſet perſpecto; quoniam ſuum periculum in aliena poſitum virtute viderent, primo & ipſis quoque animi, mox uires deficere, ac de fuga potius, quam de pugna cogitare cæperunt. tum Bononiēſes redintegratis viribus, quod plerunque accidit in magna ſpe victorię; cedentibus acriter incumbunt, atque hoſtes vndiq; circunuentos cędunt, ac fugant; multos idem metus, qui fugere cogebat, fugientes morari, atque inſequentibus prodere; alios arma, quæ ad tutelam corporis paulo ante ſumpſerant, vt abijcerent, cogere; Germanorum tamen fortiſſimi, ac Mutinenſium, quibus fama potior, quam ſalus fuit, pugnantes interficiuntur, complures capiun

tur;inter quos & Boſius Douaria Cremonenſium princeps. In eo rerum diſcrimine Hencius regię maieſtatis oblitus,dü huc, atque illuc fertur,acrē inclinatam,manu,& viribus potius, quam conſilio,atque imperio;quibus nullus iam relīquebatur locus;reparare conatur,vel ſaltem fugæ dedecus cum honeſta morte commutare,equo (vt fertur)a Bononienſium Duce interfecto,fortiter pugnans,cum ducentis ſuorum capitur.Imperatore capto,metuque pudorem vincente; iam non amplius pugna,ſed cædes erat; eorum,qui ſe ex conflictu eripuerunt,alij citato curſu ſeſe in continentes ſyluas coniecerunt;alij Mutinam, qua breuiſſimum patebat iter,alij alio petierunt, nocte fugā, ac fugæ notam tegente. At Vido Seſſius, Regienſium princeps, dum ex hoſtium manibus aufugit, & per noctem incaute equum impellit, in cloacā præcipitatur,atque ibi extinguitur:in eo tumultu Gerardus Pius,& Thomaſinus Gorzanus equites Mutinenſium illuſtres comprehenduntur: maxima inſuper tum Mutinenſium, ac Sociorum, tum Germanorum turba capta; hos octo millium numerum confeciſſe, quatuor millia Mutinam confugiſſe tradunt: reliquos aut interfectos, aut in montibus, ac ſyluis diſſipatos. Multa iam nocte,Bononienſes paucis ſuorum amiſsis, com-

plu-

pluribus quidem ſaucijs, ab inſequendis hoſtibus reuertuntur, ac præclariſſima parta victoria, hoſtium impedimentis, ac multa præda potiuntur. Pugnatum eſt nono Kalendas Septembris, quo die Diui Bartholomęi feſtum celebratur, anno quadrageſimo nono ſupra milleſimum, ac ducenteſimum humanæ ſalutis. At Mutinæ vbi allatum eſt, fugatum exercitum, ſocios, ac ciues vel captos, vel interemptos, neque Henciũ regem ipſum ex tanta clade ſuperfuiſſe, perpaucos incolumes euaſiſſe; labente ſemper in peius ſama; tantus terror urbem inuaſit, vt tum eam capi ab hoſtibus, ac funditus euerti crederes. verum & ea quoque aucta, cum priuatæ per domos clades vulgatæ ſunt; quarum vix vlla expers fuit; ſtrenuum quenque interfectum, iuuentutem deletã. multitudo igitur; quoniam aduerſæ res etiam humillimis licentiam faciunt; atque in maximo metu, vulgi rumor, æque, ac prudentum conſilia audiuntur; clamare, concidiſſe Rempublicam, dedendam hoſtibus vrbem, ſubeundum tandem ſeruitutis iugum. Friderico Imperatore cuncta ferè Italia expulſo, Hencio Rege in vincula coniecto, ad quem confugerent? a quo opem implorarent? Atqui Mutinenſium præſtantiores ſeuerè vulgus increpare; Fieri ipſorum ignauia, vt Reſ-

publica

publica ab omnibus deſeratur, patriaque hoſti-bus prodatur; graue profectò vulnus acceptum, cuncti tamen præ formidine grauiora videri; cur animis tam repente caderent, ac temerè de rebus ſuis deſperarent? ſatis adhuc virium, modo conſilij ſatis eſſet, ſupereſſe: mærorem itaque minuerent, animos colligerent, ac ſe ad imperata pro communi ſalute præpararent. Quod ſi vrbis triſtis forte ille caſus appropinquaret, cum ijs eſſe bellum meminiſſent, qui in ſupplices proniores, quam in hoſtes duriores eſſe conſueuiſſent.

Prima luce Antonius Lambertacius Bononiam profectus, quæ geſta eſſent, in conſilio exponit, quid in futurum fieri oporteret, exquirit.

Reſponſum eſt, captiuos aſſeruandos, bellum aduerſus Mutinenſes proſequendum: At quoniam Regienſes, maximis licet a Bononienſibus affecti beneficijs, Mutinenſibus tamen auxilio fuiſſent, ante omnia in eorum agrum excurrerent, mox Mutinam expugnandam curarent. Captiuis igitur in caſtro Franco collocatis, vnaque Hencio Rege, ac depopulatis Regienſium finibus, Mutinam reuertuntur; primum vero, ſi primo impetu expugnari poſſet, experiuntur, atque omnia tentant: vbi id parum proceſſit, obſidione, ac munitionibus vrbem præmere, vi pariter, ac fame expu

gnare

gnare conſtituunt. Interea Bononiæ ob partam victoriam vniuerſi per vniuerſa templa ſacris peractis, humani generis liberatori gratias egerunt, pauperibus dona, religioſiſque locis ero ganda curarunt. Multa inſuper publice lætitiæ ſigna a Bononienſibus edita non modo, ſed etiam ab omnibus fæderatis ciuitatibus; è quibus clariſſimæ legationes ad congratulandum miſſæ, benigne, ac liberaliter acceptæ, ac dimiſſæ ſunt. Flagrabat deſiderio populus nouarum ſemper rerum cupidus, Hencij Regis videndi, idque ſæpenumero flagitauerat, ſæpius etiam quæſtus (nam proſpera imbecillium maxime animos efferunt) nobiliſſimæ fructus victoriæ, ſuo ſanguine præſertim quæſitæ, ſibi nonnullorum potentia eripi; ſic cetera belli, pacisque præmia, non ab optime meritis, ſed a potentioribus occupari, eiſdem honores, eiſdem dignitates deferri, onera tantum, ac vulnera, tenuioribus relinqui. Vtrum in vnius oppiduli præſidio tutior eſſet magni Regis cuſtodia, ac in Bononienſi ciuitate? Nunquid maior in illis virtus, aut minor in Bononienſi populo fides? nimirum id paucos occulte moliri, vt Rege ferreis catenis exuto, aureis ipſi vinciantur; Verumtamē ſe cetera patricijs æquo animo concedere, hoc tantummodo petere, ac flagitare ne fidelitate, at-

que erga patriam caritate alium populum Bononienſi anteferendum cenſerent; neve exoptato diutius ſpectaculo multitudinem carere ſinerẽt. Iam conſilio de captiuis habito Bononienſes Regem ipſum æternis vinculis mandari, ac publico ſumptu ali, lege ſanxerant. Verum in Caſtro Franco, loco omnium tutiſſimo vſque eo aſſeruari iuſſerant, dum Bello Mutinenſi confecto, Bononiam veluti in triumphum ducerent, ac præclariſſimũ ciuibus, atque amiciſſimis ciuitatibus ſpectaculũ ederent. Aſſiduis tamen populi vocibus excitati, ne ſuſpenſam ipſius expectationem diutius tenerent, Prætori ſignificarunt, vt quibuſcunq; rebus opus eſſe intelligeret, ad Mutinæ obſidionem proſequendam comparatis, ipſe Bononiã (quod Reipub. commodo facere poſſet) vna cum Hencio Rege, ceteriſque captiuis ſe conferret, mature rediturus in caſtra. Die conſtituta, ac re per finitimas ciuitates vulgata, ſplendidiſſimus quiſque, vt celeberrimæ victoriæ ſpectaculo præſens adeſſet, Bononiam confluebat. Clauſis itaque tabernis, reſeratiſque templorum omnium foribus, quicquid publice magnificum, quicquid priuatim ſpecioſum haberetur, id omne palam collocatur. domus ſingulæ, vrbis vici, tabulis, floribus, ac ſertis complentur; quæcunque communis lætitię ſigna

dari

dari ſoleant,ab omnibus eduntur; vt priſcorum fere temporum æmulatos felicitatem,atque aſſecutos exiſtimares. Prætore igitur appropinquante, & pompa inſtituto ordine procedente, tubicines primo,quaſi ad excitandos in prȩlium animos,claſſicum canẽtes, vrbem ingrediuntur: hos leuis armaturæ equites,ac pedites quamplurimi quercu coronati,ſubſequuntur; exinde Cæſarianarum partium vexilla,nempe Aquila,inuerſis haſtis ſolum verrentia trahebantur;auri præterea atque argenti vaſa ex Regia ſupellectile vehebantur;ſuccedebat Bononienſium Carrocium: hunc prætextati boues,purpurea vndique veſte cõſtratum trahebant, ac nobiliſſimi iuuenum lorica induti,atque enſibus nudatis circunſtabant;ad hȩc ingens obſcuriorum turba captiuornm ſubibat, militariumque equorum agmen,quibus armigeri pueri inſidentes,criſtatas caſſides,clariſſimaque hoſtium,vel captiuorum, vel occiſorum inſignia, varijs diſtincta coloribus geſtabant; ſed præ omnibus conſpicui erant Germani proceres gloriæ cupiditate,virtutis que oſtentandæ gratia,regem Hencium ſecuti; ac Boſius Douaria, demumque Rex ipſe Hencius mula aduectus. Is,proceritate corporis,atque oris maieſtate cum priſcorum tẽporum heroibus haud iniuria comparandus, om

nium oculos in ſe cõuerterat. Plerique mortales adoleſcentis præſtantiſſimi, magni regis, maximi Imperatoris filij, nondum vigeſimum quintum annum agentis, caſum reputantes, exactam que vitæ condicionem cum præſenti conferentes, cum ipſe tantis modo copijs ſæptus, vix precariam animam inter hoſtes traheret, commiſeratione oborta lachrymas effundebant; eratque eo prætereunte mixtum dolore, & gaudio ſpectaculum. Poſtremo Prætor, ac Dux ipſe albo ſedens equo, purpureo amictu incedebat; compluribus hymños Diuorum, ipſiuſque Imperatoris laudes canentibus. Erãt vero loca omnia, quibus præteruehere-tur pompa, ingenti adeo multitudine referta, ut non ſolum vici, ac porticus omnes complerentur; quæ Bononiæ ad incolentium præſertim cõmodum extruuntur; ſed ipſa quoque domorum tecta pueris, fœminiſque preſſa, ob miram ſpectãdi cupiditatem, ſub immenſo pondere fatiſcerẽt. Prętore demum Diui Petri templum ingreſſo, omnes Deo, Diuiſque omnibus gratias agunt, ac ſupplicant. Poſtridie Prætor ipſe, vbi eorum, quæ geſſiſſet, quæque acturus eſſet, rationem in conſilio expoſuiſſet, Mutinam ab omnibus mirifice collaudatus reuertitũr. Mutinenſes interea, non tam de ſua calamitate, quam de Hencij

captiuitate ſolliciti, Fridericum Imperatorē de omnibus certiorem fecerant. Extat adhuc ipſius Friderici ad Mutinenſes reſponſio, cuius exemplum ſubijcere haud ab re viſum eſt.

„ Fridericus Imperator communi Mutinæ ſalu
„ tem. Ex relatione litterarum ueſtrarum,
„ quas ſuper euentu Hēcij Regis dilecti filij no
„ ſtri, nuper noſtro culmini deſtinaſtis, tanto cla
„ riorem nouimus fidem ueſtram, quanto per
„ euidentiora ſigna cognouimus non minus de
„ caſuum noſtrorum aduerſitate vos deprimi,
„ quam de ſucceſſuum proſperitate lætari. hæc
„ ſunt etenim deuotionis indicia, quæ mater fi-
„ delitas requirit in ſubditos, ut qualitercunque
„ fortunę dubietas ſucceſſura proueniat, quali-
„ tercunque tempora promittuntur, fidelium
„ ſemper corda ſint eadem, & in laudabilium iu-
„ giter operum exhibitione perſiſtant. ſyncerita
„ tis itaque veſtræ conſtantiam proinde laudum
„ titulis eo libentius extollimus, quo plena de
„ vobis votis noſtris reſpondente fiducia, vos
„ ad noſtra ſeruitia ſemper prōptos, & beneuo-
„ los inuenimus. Licet igitur caſus ipſe (ſi caſus
„ dici debeat, ex quo negocia noſtra non cadūt)
„ fabuloſe grauis, & vulgariter horridus videa-
„ tur; nos tamen illum pro leui, ſeu minimo repu

 tantes,

„ tantes, altitudinem mentis noſtrę propterea
„ in nullo deflexímus, nec vlla vel modica cauſa
„ nos proinde turbationis afficit; ſed cum bel-
„ lorum facta ſint dubia,& ſerenitatis noſtrę gre
„ mium abundet copia filiorum,ęquanimiter hu
„ iuſmodi noua ſuſcipimus, & noſtræ potentiæ
„ dexteram tanto propterea fortius rebellium
„ noſtrorum excidium incitamus,& erigimus ad
„ vindictam,quanto propter hoc videntur aper-
„ tius inanis gloriæ euentum,& friuolam reſiſten
„ di materiam aſſumpſiſſe. Cumque caſus huiuſ-
„ modi gladium noſtrum potenter acuerit, & in
„ detrimenta nos hoſtium ardentiſſime prouoca
„ rit,deuotionem veſtram hortamur, attente mã
„ dantes quatenus rancoris cuiuslibet ſpeciem
„ abigentes, ſic more ſolito circa noſtra ſeruitia
„ laudabiliter inſiſtatis,quod ſpem, quam de vo-
„ bis ſtabili mente concepimus,ſentiamus in no
„ bis in opere commodoſiores.Nos enim tempo
„ ris habilitate captata,ſic vltimæ depreſſioni re-
„ bellium, apertis theſauris noſtris, & fidelium
„ noſtrorum ſubſidijs aggregatis vacare diſponi
„ mus,quod nedum cogantur a cæptis inuiti de-
„ ſiſtere,ſed potius pęniteant incepiſſe.

Quin etiam legitur alia Friderici Imperatoris ad Bononienſes epiſtola,querelarum, ac minarũ

plena,

plena, cuius pariter exemplo antiquitatis ſtu-
„ dioſos carere noluimus. Relatum
„ eſt magnificentiæ noſtræ, quod in victoria vo-
„ bis data feciſtis cornua ferrea, cum quibus to-
„ tum orbem creditis ventilare, & eleuati in ſu-
„ perbia magna valde Lombardis fratribus ve-
„ ſtris arrogantiæ munera tranſmiſiſtis cum eis
„ ſolennitates, ac magna gaudia celebrantes. ſed
„ niſi cito elationem veſtram ad manſuetudinem
„ conuertatis, cornua ferrea, quæ feciſtis, ſubito
„ impetu cõfringentur, riſus veſter dolore miſce
„ bitur, & gaudium veſtrum in triſtitiam conuer
„ tetur. Conſiderate igitur prouide, & attẽ
„ dite diligenter quod Imperij noſtri ſerenitas li
„ cet paſſa videatur multas tempeſtates, aliquan
„ do tamen, digno dei iudicio, multos de illis,
„ qui rebelles noſtræ potentiæ eſſe præſumpſe-
„ runt, iuſtitia mediante ad mortem conduce-
„ mus, exemplum cunctis hominibus monſtratu
„ ri. non enim, ſicut putare videamini, ſopita eſt
„ Romani Imperij fortitudo. Nam ſemper vigi-
„ lans, & attenta potentia non dormitat. interro
„ gate igirur patres veſtros, qui dicẽt uobis quo
„ niam auus noſter felicis recordationis Frideri
„ cus, cum voluit, Mediolanenſes potentiores
„ veſtris, expulit a proprijs laribus, & eiecit, &

Ciui-

„ Ciuitatem ipſam in burgis tripartiuit.Non igi
„ tur pateant faciles aures veſtræ ſuggeſtionibus
„ ac adulationibus Lombardorum, qui vos ſuæ
„ damnationi aſſociari cupiunt, inducentes vos
„ in foueam,de qua nullo auxilio poteritis libe-
„ rari.Quapropter ſub pęna gratiæ noſtræ vobis
„ præcipimus,& mandamus,quatenus dilectum
„ filium noſtrum Hencium Regem Sardiniæ, &
„ Galluri, cum alijs fidelibus noſtris,quos cępi-
„ ſtis,viſis præſentibus, de carceribus relaxetis.
„ quod ſi feceritis,nos inter alias ciuitates Lom
„ bardiæ veſtram exaltabimus ciuitatem;ſi vero
„ potentiæ noſtræ mandatis neglexeritis obedi-
„ re, triumphalem, & innumerabilem noſtrum
„ exercitum expectabitis procul dubio cogno-
„ ſcentes,quod ad vos omni mora poſtpoſita ve
„ niemus,& ciuitatem ipſam obſidebimus, nec
„ de manibus noſtris vos liberare poterunt Ligu
„ riæ proditores,ſed eritis fabula, & opprobriũ
„ nationum,ac vobis imperabitur in æternum.
Huiuſmodi igitur fuere Friderici Imperatoris ad Bononienſes litterę.in quibus illud, Nec vos liberare poterunt Liguriæ proditores:ne forte legentem moretur,is ſciat Fridericum, cum Genuẽſes omnes,tum maxime ſummum Pontificem Innocẽtium quartum,ijs verbis perſtrinxiſſe. illi enim
ab

ab impio Imperatore deſciuerant: Innocentius autem patria Genuenſis, ac genere illuſtri fuit, nē pe ex nobiliſſima Fliſcorum Familia natus. is Cardinalis cum eſſet, Friderici dignitatem apud ſummos Pontifices fortiter, atque induſtrie eſt tutatus; eundem Pontificem maximum creatum cum multi ad Fridericum læti detuliſſent; fertur homo ſibi ipſi conſcius, reſpondiſſe, ſe amicum amiſiſſe Cardinalem, inimicum Pontificem habiturum. At Friderici minis tantum abfuit, vt Bononiēſes a propoſito deterrerentur, vt Hencium intentiore quoque cura cuſtodiendum, atque ædes publicas, quibus deinceps aſſeruaretur, extruendas curarent. Extat adhuc amplum in Prætorio cœnaculum, fornicibus vinctum lapideis, raris, anguſtiſque feneſtris illuminatum, latitudine pedum quadraginta; ita vt fornices duplex columnarum ordo ſuffulciat; vt nedum carceris anguſtias referre videatur, ſed locum potius laxamento, ac deambulationibus idoneum verius dicas: hodie Regis item Hencij Cænaculum appellatur. Huic præterea, ne quid, vna excepta libertate, deeſſet, duo quotidie viri patricij, ex conſilij decreto, aderant hunc ſingulis diebus prouinciā ſortiti, vt ferijs, iocoſiſque ſermonibus diem vna ducerent, ac tēpus fallerent. ita, vt ſatis nequeam mirari non defuiſ-

ſe,

ſe, qui Hencium à Bononienſibus in caueam ferream coniectum, atque ibi perpetuo aſſeruatum tradiderint: quod cum grauiſſimorum virorum auctoritate refellatur, non eſt, cur ego coner argumentis, quæ firmiſſima, ac perſpicua ſunt, refutare. Enimuero Fridericus vbi ſe minis nihil profeciſſe animaduertit, ad preces conuerſus, tantam auri vim Bononienſibus daturum pollicitus eſt pro Hencio redimendo, quantum ad cingenda Bononiæ vrbis mœnia ſatis eſſet; nihilominus tamen ab ipſis repulſus, captiui vt mitius tractaré tur, octodecim librarum Imperialium millia perſoluiſſe, memoriæ traditum. Peruaſerat interim fama, Mutinenſes prælio victos, ac fractos, habebatque Italorum fere omnium animos mirifica expectatione ſuſpenſos Bononienſium nondũ vulgata de rege Hencio deliberatio. multi vero palam aſſeuerare, captiuos, regem que in primis ipſum, non modo libertate donandos, ſed etiam magno cum honore dimittendos. Namque homines haud ſecus, quam feras, aut morte mactare, aut vinculis conſtrictos tenere, non humanum ſed ferinum eſſe inſtitutum: belli tempore armis, atque audacia, pacis, iuſtitia, ac manſuetudine, reſpublicas amplificari; ſic bellica, ſic ciuili virtute coniuncta, verum apud omnes decus comparari,

rari, ſic Hencium antea captum principes Lombardiæ populos liberaliter dimiſiſſe: nimirum in vnius adoleſcentis corpuſculo paruam fieri iactu ram, magnam tamen ineſſe gratiam, maiora præmia. Vtrum Bononienſes virtute, ac prudentia Mediolanenſibus anteferendi? an ipſi forte proſpero rerum ſucceſſu elati, vſque adeo inſanirent, vt potentiſſimi quoque Imperatoris filium poſcẽtis imperium negligendum putarent? & quo ad augendã ipſorum apud Cæſarem gratiam eſſet in primis vtendum, eo ad conuellendam potiſſimum abuterentur? obſequio mitigari Cæſares, cõtumacia irritari: nempe felicitatem occulta mala patefacere, quam multi orientem ferrent, auctam non caperent. atque ita Bononienſes, dum rerum geſtarum famam augere temere niterentur, iam antea partam corrumpere: ſic propediem fore vt læta in præſens, mox in perniciem verterent, gloriaque ac proſperitate cum ignominia, & calamitate breui commutata, pulchrum atque illuſtre Bononienſium nomen, nedum obſcuratum, ſed etiã fœdatum, ludibrio, ac fabulæ eſſet. Contra vero alij, quæ hactenus Bononiẽſes egiſſent, magna quidem eſſe, ac pręclara; ſed veram recte factorum laudem inde maxime comparandam, ſi Hencium Regem nullo vnquam tempore dimittendum cen

ſerent,atq; in vnius hominis debita ſeruitute vniuerſæ libertatem Italiæ repoſitam eſſe ſtatuerent. cum quidem Bononienſibus non modo,ſed Italis omnibus,maiori,quam antea terrori, & calamitati,ſi liberaretur,futurum.Quis enim feroces, contaminatoſque parentis ſpiritus in filio non agnoſceret? quem impij patris crudelitas,quem ſcelus lateret?hos veluti feras immanes,quę nullis blādicijs,nullis omnino officijs māſuefieri poſſent, maleficijs æque,ac beneficijs implacabiles carceribus iure plectendos, ac vinculis fatigandos, tum denique tantum facinus omni laudum genere cumulatum non modo cum Mediolanenſium factis, verumetiam cum Romanorum pulcherrimis cōferendum;qui tam & ſi deditis incolumitatē præſtare conſueuiſſent, atque hoſtibus ipſa quoq; regna largiri, captos tamen in bello Reges liberari nunquam paſſi eſſent.ſic Perſem,ſic Iugurtā,atque Siphacem,ſic ceteros,quos bello cepiſſent,reges, quamuis nihil ab ijs omnino eſſet metuendū,perpetuo tamen aſſeruari voluiſſe,quanto igitur magis Bononienſes Hencium Regem conſtrictū tenere oporteret,a quo ſi adhuc iuuene admodum horribiles bellorum tempeſtates excitatæ eſſent; quæ nam,& quanta eo adulto Chriſtianę Reipub. impederent procellæ? Quod ſi priuatam cauſam

negli-

negligerent Bononienſes, nunquid & publicam deſerendam putarent? cum præſertim ſe nemini concedere, qui Eccleſiam ſaluam, incolumẽque velit, profiterentur? ampliſſimum quidem excellẽtis induſtriæ, fortitudinis, ac prudentiæ monumẽtum ipſos edidiſſe; at conſtantię in primis, & continentiæ ſtatuendum exemplum, vt ſcilicet neque innani terrore, neque pollicitationibus ad Henricium dimittendum adducerentur. Premebatur in dies arctiori obſidione Mutina, vt neque vllus inde egreſſus, neque vlli adeam aditus ferè daretur rerumque omnium inopia vrgeretur, admonebãtur autem Bononienſes ne committerent, vt parta victoria vti neſcirent, expugnandam, delendamque hoſtium vrbem, nullam fidam pacem, nullum ſalua Mutina ocium Italiæ futurum: ita hoſtes vindicatum ire, ita meritas aliquando daturos pęnas ſi quorum eſſet culpa incendium belli excitatum, eorum ruina extingueretur. Mutinenſes interea ſæpe irruptionem facere, hoſtes ad pugnam allicere, damnis nonnunquam afficere, donec pluribus ſuorum amiſſis, ſic intra mænia compulſi ſunt, vt neque amplius congredi, neque illa egredi auderent. Vbi vero Bononienſes cuniculos agere, quibus muros ſubruere deſtinabant, intellexerũt, omni auxilio, ac ſpe deſtituti, cunctiſque malis

conflictati, in ſummi tandem Pōtificis fidem, quē Bononienſes maxime colerent, ac miſericordiam confugerunt. Is tum Lugduni degebat, quo Friderici Imperatoris inſidias veritus, iampridem Romā ſe receperat; atque ibi concilio indicto Fridericum a cętu piorum amouerat, imperiū ipſi abrogauerat, omnes que præſtito obedientiæ ſacramento exoluerat. Mutinenſium igitur ſummus Pōtifex calamitatibus, ac precibus commotus, Octauiano legato imperat, vt Bononiēſes adeat, ac, ſua & gratia, & auctoritate interpoſita, ad pacem cum Mutinenſibus faciendam adducat. Legatus & ſuo, & ſummi Pontificis nomine Bononienſes, vt paci conſulant, diligenter monere, atque hortari; id ab ipſis expetendum, vt non fortitudine ſolum, verum etiam æquitate hoſtes ſuperarent; admonerentur fragilitatis humanæ, cuius in proſperis ſæpe rebus obliuio eſſet; bellorum finem ocium, nō hoſtium eſſe perniciem, clementiæ in primis laudem eſſe quærendam, plus parcendo, quam vincēdo mortales gloria excellere, ac reipublicæ magis prodeſſe: ſatis iam armis certatum, ſatis repreſſos Mutinenſium animos. horum exemplo palā oſtendi, eos, qui ſe nimis efferrent, vltorem Deū, ac vindicem habere; ſic diuino eueniſſe conſilio, vt qui primo bellum intuliſſent, ij ad pacem vltro petendam

dam primi veniſſent,oblatam ſanæ mentis neminem vnquam aſpernatum,ne ipſi repudiandã exiſtimarent; ſed cum Mutinenſibus in priſtinam gratiam , amicitiamque redirent . Ijs Bononienſes,ad mitiora ſuopte ingenio proniores, reſpondere;ſe omnia ſummi Pontificis,atque ipſius legati cauſa cupere,& velle;quaſcunq; ſibi a Mutinenſibus illatas iniurias, illorumque inimicitias æquo , ac libenti animo ipſis remittere, cum præſertim Bononienſes capeſſere bella ſoliti eſſent non ſua tantum,ſed ſummorum Pontificum cauſa,ac pro Eccleſiæ dignitate tuenda atque amplificanda.quemadmodum iuſtum bellum non recuſaſſent,ita æquam pacem,ſi Mutinẽſes peterent, non denegare . Cum itaque Mutinenſes legatos , deprecatores que miſiſſent ciuitatis præſtantiſſimos; ij ſupplici,ac blãda vſi oratione,belli culpam in paucorũm cupiditatem tranſtulerunt,ſi quid tamen vniuerſi peccaſſent, iam ſatis pęnarum vniuerſos dediſſe, ſtrenuo, ac nobiliſſimo quoque aut capto,aut interfecto, reli quis fame,& ſqualore conſumptis:omne denique ſibi in Bononienſium clementia repoſitum eſſe præſidium dicebant.pacem ſe petere, quæ victoribus magis honorifica, quam victis fructuoſa eſſet futura.Eos propterea obſecrare, ne ex cruẽtis

ſuppli-

ſupplicum ſpolijs, ſed ex præſtita deditis incolumitate præclariſſimum poſteris monumentum relinquerent. Ijs reſponſum, Mutinenſibus bellum cupientibus ſe bellum dediſſe, pacem petentibus haud ſecus pacẽ daturos, modo meminiſſent, ea cõſtantius tueri oportere, quæ vbi abiecerint, ab aliorum potius benignitate, quam ab ipſorũ meritis eſſent expetenda. Tum de pacis condicionibus actum, quæ eiuſdem legati opera latę ſunt. Seruantur hodieque in Archiuo Bononienſi tabulæ, hæc omnia pleniſſime explicantes, ad xiiij. cal. Ianuarias confectæ, quarum ſic legitur initium. Hæc eſt concordia facta inter Bononiẽſes, & Mutinenſes ad honorem Dei, & Beatæ Virginis, & Beati Petri Apoſtoli, & Sanctorum Geminiani, & Dominici confeſſorum, & ad honorem Eccleſiæ Romanæ, & ſummi Pontificis. Cetera autem totidem verbis huc transferre quod nimis lõgum erat, ab eodem Sigonio in compendium redacta, atq; ex fide exẽplaris diligẽter a nobis recognita, hoc loco deſcribere nõ alienũ putauimus.

„ Commune Mutinæ ſocietatem, & amicitiam
„ cum Communi Bononiæ ſeruet, & amicos
„ inimicosq; eoſdẽ in perpetuũ habeat. pace bel
„ loq; Octauianũ Cardinalem legatum, & Bono-
„ niẽſes aduerſus omnes homines iuuet, neq; cũ

ali-

,, aliquibus ſocietatem coeat iniuſſu Octauiani
,, Cardinalis,ſi aderit, aut prętoris Bononienſis,
,, qui nunc eſt,aut poſthac fuerit,& antianorum
,, populi,& conſulum mercatorum, argentario-
,, rumq;,qui nunc ſunt,aut poſthac erunt, & Cō
,, munis ipſius Bononiæ. Loca omnia epiſcopa-
,, tus Mutinæ citra Scultemnam euerſa,in perpe
,, tuum euerſa remaneant. integra vel inegra re-
,, maneant vel trio eorundem.Incolis eorum lo-
,, corum liceat ibi domos reponere, modo ne in
,, tra loca,vbi caſtra continebãtur. Si Fridericus
,, Imperator abdicatus,aut alius pro eo in diœ-
,, ceſim Regiẽſem,aut Mutinẽſem pro vrbe Mu-
,, tinæ recuperãda venerit, tũ par numerus Aigo
,, norũ,& Graſulforum,qui viſus erit Cardinali,
,, prætori, ceterisq; & ad eos fines,qui eiſdẽ pro
,, babuntur,teneantur venire ad vrbẽ Bononiæ,
,, aut in agrum impenſis Communis Mutinæ, &
,, ibi eſſe ad eorum arbitrium,ita tamen, vt poſt
,, octo dies,quam hic motus factus erit, poſſint
,, domum redire.Cõmune Mutinæ reſtituat om-
,, nes Badianẽſes,& qui erant Badiani, tum cum
,, venit in ditionem Bononienſium,atque ſuas il
,, lis poſſeſſiones reddat.Idem incile aquæ è Scul
,, temna deriuari ad Caſtrum Francum per agrũ
,, Mutinenſem, & ſuper id molendina conſtrui
ſinat.

„ ſinat. Mutinenſes, qui ſunt in vrbe, & qui ſunt
„ foris de factione Aigonorum legant communi
„ conſilio prætorem ex vrbe Bononienſi, prout
„ placuerit Cardinali, Prætori, Antianis, & Con
„ ſulibus, aut qui ſunt in vrbe legant vnum, qui
„ foris, alterum, aut demum Cardinalis, Prætor,
„ Antiani, Conſules dent vnũ, duoſue, quos ve-
„ lint. Qui per Cardinalẽ, Prætorem, Antianos,
„ & Conſules mittentur ad cuſtodiam vrbis, ar-
„ cium, & portarum, alantur impenſis Commu-
„ nis Mutinæ. quas arces, portas idem Commu-
„ ne Mutinæ teneatur libere dare Cardinali, præ
„ tori, Antianis, & Conſulibus, & præſidia, quæ
„ mittentur, ex eorundem voluntate, recipere.
„ Mutinẽſes equites, & pedites Mutina extorres
„ ex parte Aigonorum reſtituantur, & in bona
„ ſua redigantur. Pax fiat inter partem Graſulfo-
„ rum, & Aigonorum ad arbitrium Cardinalis, ſi
„ aderit, Prætoris, Antianorum, & Conſulum:
„ Contra vero Commune Bononiæ pacẽ habeat
„ cum Communi Mutinæ, & parte Graſulforum
„ & eos in perpetuum cõſeruet, ac defendat ad-
„ uerſus omnes homines integro fœdere Lom-
„ bardorum, & partem vtramq; in ciuitate reti-
„ neat, & ſi vna pars pelletur ab altera, Prætor,
„ Antiani, Conſules, populus, & Commune Bo-

noniæ

„ noniæ illam reducant, ac bello alteram perſe-
„ quantur, expulſamq́; recipiant. Mutinenſes in
„ agro cis Scultemnam ius habeãt colligẽdi fru-
„ ctus, ſicut ante habebant. Iura Nonantulæ ſint
„ Mutinenſium, ſicut erant, antequam Nonantu
„ la ditioni Bononienſium ſe permitteret, modo
„ ne negocium Nonantulanis exhibeant, eo no-
„ mine, quòd illorum ſe poteſtati tradiderunt.
„ Prætor Bononiæ, qui nunc eſt, aut poſtea erit,
„ Antiani, Conſules, qui nunc ſunt, aut poſthac
„ erunt, & Commune, populusq́; Bononiæ dent
„ operam pro viribus, vt precaria, feuda, emphy-
„ teuſes eorum nulla lite turbentur vi decreti ab
„ Innocentio pontifice interpoſiti, quo fautores
„ Friderici his iuribus ſpoliauit. omnia prædia
„ Eccleſiaſtica ſacerdotibus Mutinenſibus reſti-
„ tuantur, quibus ſententia Põtificis ſunt exuti.
„ Ferrarienſes, qui capti fuerunt ad canale Muti
„ næ, cum captus fuit Gerardus Pius, & Thoma
„ ſinus Corzanus, & qui capti fuerunt, dum vrbs
„ obſidebatur, libere dimittantur. Gulielmus ta-
„ men Aldratte, & ſocij eius tandiu retineantur,
„ donec Caruolinus Caſtellus, & ſocij fuerint di
„ miſſi. Captiui Bononiẽſes, qui Mutinæ, aut alio
„ loco cuſtodiuntur à die, quo fuit prælium inter
„ Commune Bononiæ, & Commune Mutinę, ac

„ Regem inter Mutinam, & Scultemnam vij. Ka-
„ len. Iunias, & captiui Mutinenſes libere dimit
„ tantur. Com nune, & populus Parmæ, Commu
„ ne Mediolani, & alia Communia Lombardiæ
„ Eccleſiæ partes ſequuta, ac demum ipſe pon-
„ tifex hanc pacem ratam habeant.

At Fridericus Imperator, rebus Siciliæ citra pharum (vt appellabant) recte cōſtitutis, cum bellum ingens aduerſus Bononienſes moliretur, inſignem ſequentis anni finem ſuo obitu fecit, dum enim auitam Friderici Ahenobarbi impietatem imitatur, violenta pariter morte interijt, Ferēſulæ igno bili Apuliæ oppido, Manfredi filij nothi ſcelere occiſus. impium patrem impie filius necaſſe traditur, cum ſcilicet animam ageret, puluino ad os iniecto. Nam Friderico mortuo, Manfredus Regnū occupare Neapolitanum, quam viuo expectare maluit; ſic actæ turpiter vitæ, triſtes imminere exitus, horum maxime teſtimonio comprobatum. Id oppidum non ſecus ac Venuſiam vrbem haud procul inde diſtantē dū Iuuenis adhuc eſſem ſæpius ſum contemplatus, quod hæc maximū Poetam ediderit, illud maximum Imperatorem ſuſtulerit, vtrunq; locū diſparibus cauſis pariter nobilitatum. Huius igitur morte ſummus Pontifex Innocentius ingenti ſollicitudine liberatus, Italiam

ex-

extemplo repetens, Bononiam petijt, ibique omni honorum genere, ſingulari Bononienſium ſtudio, ac frequentia, exceptus eſt. In eius gratiam Boſium Douariam captiuum Bononienſes liberarunt, Hẽcio nihilominus rege in cuſtodia relicto. cui tametſi ad vſum, cultumque regium omnia adeo copioſe ſuppeditarentur, vt vna tantum libertate careret; huius tamen deſiderio eo magis flagrabat, quo magis adipiſcendæ ſpem ſibi prçcidi videbat; Bononienſibus præſertim auro, & minis fruſtra tentatis, patre vita functo, fratribus denique ingenti bellorũ mole preſſis, atque oppreſſis, Ipſe igitur ſibi conſulere, atque extremum tentare remedium conſtituit. acutam que meditatur fallaciam, atque exequitur. homini cupa vinaria victum quærenti, ad eumque ſæpe commeãti, multa largitus, plura pollicitus, tandem perſuadet, vt ſe cupa eadem impoſitum (nam eę hominis magnitudinem complent) e cuſtodia educat, atq; vna ſecum fugam arripiat; reſpondit optatis paulisper euentus, iamque prætorio egreſſus, cuſtodibus deceptis, cupa per vrbem ferebatur, vt ſeſe inde proriperet: ecce autem anus (vt fertur) inſana, eum ex feneſtra proſpectans, atque agnoſcens, regem deportari clamauit; atque ita concurſu facto Rex deprehenditur: in eodẽ carcere recõditur, &

qui eum deportauerat, vltimo ſupplicio afficitur; ita Hencius arctiori ſæptus cuſtodia, reliquũ ætatis egit. Cumque ſecũdum, ac vigeſimum annum ibi traduxiſſet, in morbum incidit, obijt que annos natus ſex, & quadraginta, duabus, vti ex eius teſtamento liquet, quod in hanc diem in Diui Dominici cœnobio cuſtoditur, relictis filiabus, Magdalena, & Conſtantia, ex quibus plerique nobiliſſimam Bentiuolorum familiam originem duxiſſe tradunt. Verumtamen neque deſunt, qui Bẽtiuolos inter Bononienſes patricios ante Hencij captiuitatem centum amplius annis cenſeant; ita vt in huiuſmodi ſcriptorum varietate, arbitrari forte quis poſſit, alteram Hencij filiam Bentiuolo uiro nuptam fuiſſe; atque inde Bẽtiuolos Regis progeniem ſcriptores dixiſſe. Tumulatus eſt Hencius tanta populi frequentia, ac funeris pompa, vt non captiuum quidem hoſtem, ſed principẽ ciuem, atque adeo Bononienſium Regem efferri exiſtimares. Erat vero ipſe purpura indutus. Feretrum purpurea pariterveſte, quæ pellibus varijs ſuffulciretur, conſtratum. capiti corona aurea, gẽmis diſtincta clariſſimis, ac Diadema, manibus aureum ſceptrum impoſitum. celeberrimi Bononiẽſium Iuriſconſulti feretrum ſubiere: omnes omnium ordinum homines ſunt comitati; vt quæ ho-

ſti Bononiēſes tribuerint, vix alios amicis tribuiſſe reperias. Eius Sepulchrū in Sancti Dominici templo extat adhuc; in quo ſequentes verſus ſatis rudes, illius ſeculi antiquitatem redolentes, olim legebantur.

Tempora currebant Chriſti natiua potentis
Tunc duo cum decies ſeptem cum mille ducentis,
Dum pia Cæſarei proles cineratur in Arca
Iſta Friderici, maluit quem ſternere Parca.
Rex erat, & comptos preſſit Diademate crines
HENCIVS inquam, Cœli meruit mens tendere fines.

Quorum hodie locum noua hæc, quæ ſequitur inſcriptio, inſtaurato nuper, ac renouato monumento, obtinet;

D. O. M.

VIATOR QVIQVIS ES,
SISTE GRADVM, ET QVOD SCRIPTVM EST PERLEGE: VBI PERLEGERIS, PENSITA.
HOC IS, CVIVS CAVSA HOC SCRIPTVM EST, FIERI ROGAT.
ORTO INTER BONONIENSES AC MVTINENSES BELLO,
CAESAR FRIDERICVS II. ROM. IMPERATOR FILIVM HENCIVM
SARDINIAE, AC CORSICAE INSVLARVM REGEM
MVTINENSIBVS SVPPETIAS FERRE IVBET.
QVI,
INITO APVD DIVI AMBROSII PONTEM CERTAMINE, A BONONIENSIBVS CAPITVR,
NVLLA QVE RE, VT DIMITTATVR, IMPETRAT;
LICET PATER MINIS, DEINDE PRECIBVS ET PRETIO DEPRECATORIBVS VTERETVR, CVM TANTVM AVRI PRO REDIMENDO FILIO POLLICERETVR,
QVANTVM AD MOENIA BONONIAE CIRCVLO AVREO CINGENDA SVFFICERET.
SIC CAPTIVVS ANNOS XXII. MENSES IX. DIES XVI. TENETVR.
ALITVR QVE REGIO MORE PVBLICA BONONIENSIVM IMPENSA.
SIC DEFVNCTVS MAGNIFICENTISS. AC PIENTISS. FVNERATVS HIC TVMVLATVR.

PRAE-

PRAETEREA SIMVLACRVM HOC IN PERPETVVM
MONVMENTVM ET HOSTI ET CAPTIVO.
S. P. Q. B.
ANNO SAL. M.CC. LXXII. ID. MART.
HOC VOLEBAM VT SCIRES.
ABI, ET VALE.

MONVMENTVM HOCCE VETVSTATE COLLAPSVM.
SENATVS BONONIENSIS IVSSV
INSTAVRATVM FVIT. M.D.LXXXVI.

F I N I S.

Typographus Lectori.

Nequid abs te, lector ſtudioſe, deſideraretur, quod ad Hencianam hiſtoriam pertineret, ex ijs monumentis, quæ adhuc extare comperimus, & Hencij Teſtamentum, cuius in hiſtoria ſuperiore facta mentio eſt, & paucula, quæ ille Italico ſermone luſerat, annectenda duximus. Vale.

EXEMPLVM

Teſtamenti Hencii Regis.

DEPROMTVM EX ARCHIVO FRATRVM Prædicatorum Sancti Dominici de Bononia.

IN nomine Sáctę & indiuiduę Trinitatis. Anno à natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo ſecundo, indictione quinta decima, Die ſexto, Dominico, intrantis Martij. Henricus, Dei gratia, Rex Sardiniæ, Dum Sereniſſimi, Diuæ memoriæ, genitoris noſtri Federici Romanorũ Imperatoris inuictiſſimi virtuoſam potentiam, & glorioſam virtutem recolimus, dum Illuſtriſſimorũ Fratrum noſtrorum Regum, & Principum ſublimitatem penſamus, eò grauius deſideriorum carnalium motu anguſtiarum imminentiũ molem patimur, quò ſubmiſſius & acerbius inimicantis fortunæ ictibus agitamur. verùm quoniam Regis æterni iudicium, cui fragilitas humana ſubijcitur, aliquo fugæ remedio deuitare non poſſumus, de manu eius, ſperantes miſericordiam, conſolationi debitæ adhęremus, & dum diſcretionis innatæ integritate potimur, licet corpus lãguore prematur duriſſimo, poſteris noſtris nuncupatiuo Teſtamẽto præſenti ſine ſcriptis ſuper Regnorum, iurium, & rerum noſtrarum diſpoſitione tradimus documentum. In primis ſiquidẽ onus grauoſum noſtris eijcientes ex humeris, Commune Bononiæ ab omnibus grauaminibus & læſuris, quæ nobis tanquam benemeritis, dum noſtros reatus agnoſceremus, per tempora intulit, & fauente gratia liberamus, remittentes eidem quæcunque à nobis illicitè per tempora extorſiſſet, nec non vniuerſos & ſingulos de-

uota,

uota,& pia liberatione ab omnibus iniurijs nobis illatis abſolui mus,& eos ad pacem,& noſtram beneuolentiam reuocamus: Supplicantes Communi Bononiæ, quòd paupertatis noſtræ miſerta grauia expenſarum onera non expauit,quatenus viros diſcretos Magiſtros Thadeum,Paulum,Bartolum,Peregrinum,Amadeum & Alexium medicos noſtros ſui laboris decenti remuneratione lætificet.Prætereà ſtatuimus volumus,& mandamus, quòd miſerandum corpus noſtrum,quod Bononia carcere incluſit in vita, poſt mortem carceri,& ſepulturæ tradatur perpetuo,arbitrio Venerabilis Patris Domini Octauiani, Dei gratia, Bononienſis Epiſc.apud Eccleſiam,quam decreuit, quam ex nunc nobis eligimus,& optamus.Et pro ſalute animæ noſtræ, & in peccatorũ noſtrorum remedium Quadringẽtas vncias auri dimittimus per Illuſtres Dominum Alfonſum Dei gratia Regem Caſtellæ, Cariſſimum conſanguneum noſtrum,& Dominum Federicum Tertium Lanthegrauium Turingiæ cariſſimum nepotem noſtrum pijs locis,citra ſepulturam noſtram,& perſonis miſerabilibus ipſorum arbitrio erogandas.Supplicantes prĉfatis,quòd ob amorem noſtram,& domus noſtræ in hac parte noſtrĉ ſalutem animæ nõ euitent: Item Iure Legati viro Commendabili Gulielmino de Sancto Georgio ciui Bononien.familiari, & fideli noſtro relinquimus, mille lib.Bono.computatis in his omnibus denarijs,& pecunia quam nobis hactenus,& Curiæ noſtræ mutuauit pro ſubuentione noſtra,& rebus nobis,& noſtræ familiæ opportunis. Mandantes infra ſcriptis Henrico,& Vgolino nepotibus,& hĉredibus noſtris,quod eidem Guilielmino iam dictam quãtitatem ad ſex menſes proximos poſt exitum vitæ noſtræ perſoluát,alioquin ipſos infraſcripta hæreditate priuamus noſtra, & decreuimus non gaudere,quam hæreditatem ad eundem Gulielminum tunc volumus deuenire,habita ratione quanti plus relictum eſt cuilibet infraſcriptorũ Iacobi,Nicolai,& Petri,vt pro ea parte ad ipſum Guilielminum dicta hereditas deuoluatur diuiſione hereditatis facienda pro rata dictarum quantitatum r c temporis inter eos. Item viro diſcreto Iacobo Abatis fideli, & familiari, mercarori noſtro Ciui Bonon.iure legati relinquimus Duo Millia & ſeptin

gentas libr. Bonon. computatis in his Mille & ſeptingentis libr. Bonon quas nobis,& noſtræ Curiæ pro expenſis neceſſarijs mutuauit. Mandantes infraſcriptis Henrico,& Vgolino nepotibus, & hæredibus noſtris, quòd eidem Iacobo iam dictam quantitatē ad ſex menſes proximos poſt exitum vitæ noſtræ perſoluāt, alioquin ipſos infraſcripta hæreditate noſtra priuamus, & decernimus non gaudere, quam hęreditatem ad eundem Iacobum deuo lui volumus euenire, habita ratione quanti plus relictum eſt dicto Guilielmino,& infraſcriptis Nicolao,& Petro, &c. vt ſupra. Abſoluimus inſuper diſcretum virum Beneeuene Abbatis, & filios eius ab omnibus,& ſingulis, quæ à nobis perceper. t,vel habuerunt nomine vſurarum,& eos exinde nullo volumus peccati onere aggrauati. Item Nicolao filio Benuenuti ciui Bono. dilecto domicello,& familiari noſtro quem nunquam in exhibitione obſequiorum tepentem reperimus, iure legati relinquimus quingentas lib. Bono. mandantes infraſcriptis Henrico,& Vgolino nepotibus hæredibus noſtris quod eidem Nicolao iam dictā quantitatem ad ſex menſes proximos poſt exitū vitę noſtrę perſoluant, alioquin ipſos infraſcripta hæreditate noſtra priuamus &c. vt ſupra. Item memoratis Guiglielmino, Iacobo, & Nicolao iure Legati relinquimus omnia iura, quæ ad nos pertinent in bonis Albertini Spaualdi,& contra ipſum Albertinum Spaualdum quacumque occaſione. Item Petro Armanini fideli noſtro relinquimus iure Legati, quinquaginta Lib. Bonon. mandantes infraſcriptis Henrico,& Vgolino nepotibus hæredibus noſtris, quod eidem Petro iam dictam quantitatem ad ſex menſes proximos poſt exitum vitæ noſtræ perſoluant alioquin ipſos infraſcripta hæreditate priuamus,&c. vt ſupra. Item Magiſtro Eliſeo Medico noſtro iure Legati relinquimus Centum Libr. Bonon. Item Guliclmino de Parma domicello,& Seruitori noſtro,& familiari iure Legati relinquimus Centum Lib. Bonon. Item Magiſtro Marco, Magiſtro Ioanni coquis noſtris. Benedicto Apulien. Bernardo,& Millano ſeruientibus noſtris, in remunerationem obſequiorum, quæ nobis fideliter cōtulerunt, videlicet cuilibet ipſorum, viginti quinque lib. Bon. Item nobili viro Guidoni Tantidenarî

amico

amico noſtro iure Legati, relinquimus viginti quinq; Lib. Bono. Item Iacobino Fauiæ Magiſtro Sartori noſtro iure Legat, relinquimus viginti quinque Lib. Bonon. Item Petro de Regio Calzolario noſtro iure Legati, relinquimus viginti quinq; Lib. Bon. Item Bonacurſio iure Legati, relinquimus Decem Lib. Bon. Verùm ſiquidem conſiderantes deuota obſequia, puram fidelitatẽ, &c. quibus nobis à multis temporibus placuerint pręfati Guilielminus, Iacobus, & Nicolaus, & etiam Themaxinus infraſcriptus fidelis notarius, & familiaris noſter, quoniam debitis beneficijs eos remunerare nõ poſſumus, nobis deficiente potentia, ipſos cũctis hæredibus noſtris, & vniuerſis Regibus, Principibus, & cunctis, qui patris, & fratrum noſtrorum ſolia dilexerunt, tenerrimè commendamus, cæteros exorantes ſuppliciter quatenus pręfatos ea viſus alacritate, ac gratiarum fauore lętificent, quę cunctorum mentes acuat per exemplum. Item ſtatuimus, volumus, & mãdamus quòd omnes Litteræ, Inſtrumenta, & omnia Priuilegia, Libri noſtri Romantiorum vbicũ que ſint, & cæterę, res, & bona noſtra, quæ ſunt in Ciuitate Bononiæ apud dictum Guilielminum de Sancto Georgio, Iacobinum Abbatis, & Nicolaum cuſtodienda deueniant, & ſaluanda, Iniungentes eiſdem quod ipſas res, & bona cum Priuilegijs, litteris, ſeu Inſtrumentis infraſcriptis Henrico, & Vgolino reſtituant, quæ ad iura hæreditatis ipſorum pertinere noſcuntur, tamen prius, & cuilibet eorum, & Petro Armanini præfato de quantitatibus pecuniæ, quam eis relinquimus, integrè ſatisfacto. Inſuper Helenam Filiam Fraſchæ nobis hæredẽ inſtituimus in Ducentis Libr. Bon mandantes infraſcriptis Henrico, & Vgolino noſtris hæredibus, quòd eidem iam dictam quãtitatem perſoluant, quotiens religionis habitum duxerint ſubeũdum. Item virum Illuſtrem Dominum Corradum de Antiochia cariſſimum Nepotem noſtrum nobis hæredem inſtituimus in Comitatu de Molleſio, & in omnibus, & ſingulis iuribus ad nos pertinentibus in eodem. Item Illuſtrem Dominam noſtram Catherinam de Marano cariſſimam Sororem noſtram, Sereniſs. Domini Federici Romanorum Imperatoris filiam, nobis hæredem inſtituimus in duobus millibus Lib. Bon. ſupplicantes Illuſtribus Do-

minis Alfonſo Regi Caſtellæ conſanguineo noſtro, & Federico Tertio Lantegrauio Turing. Nepoti noſtro, quatenus dictæ Dominæ ipſam pecuniæ quantitatem dignentur perſolui facere infra anni proximi ſpatium ab exitu vitæ noſtræ, quod ſi non fecerint, ipſos ab hæreditate infraſcripta priuamus, & ipſos eadē volumus non gaudere, ſed ad præfatam ſororem noſtram hæreditatem ipſam deuolui uolumus euenire, & inſuper iure Legati pręfatæ Dominę plenam tribuimus poteſtatem exigendi, & liberandi ab omnibus eis, qui à nobis vnquam quidquam extorſiſſent nomine vſurarum. Item Magdalenam, & Conſtantiam cariſſimas filias noſtras nobis heredes inſtituimus, videlicet quamlibet ipſarum in Mille vncijs Auri, quas exinde contentas eſſe volumus & mandamus, ſupplicantes Illuſtri Domino Alfonſo Regi Caſtellę conſanguineo noſtro, quatenus ipſas cum dote quantitatis iam dictę nuptui tradere dignetur, quemadmodum ſuis, & noſtris honoribus crediderit conuenire. Item Henricum, & Vgolinum cariſſimos Nepotes noſtros ex Excellenti filia noſtra Helena, & viro Mag. Guelfo de Donnoratico genero noſtro natos, & cæteros maſculos naſcituros ex ea, dum tamen in lucem perueniant, nobis heredes equalibus portionibus inſtituimus in Regno noſtro Sardinię, & omnibus iuribus ad nos, tam in dicto Regno, quam in Caſtro Saſſari ſpectantibus. Item in tota Luniſana, Carfagnana, Verſilia, & tota terra, quæ Vareſſum dicitur, & in omnibus iuribus ad nos ſpectantibus in Caſtro Tribiani diſtrictus Ianuæ, mādantes eis quod dictis Guilielmino, Iacobo, Nicolao, & Petro de quantitatibus eis per nos relictis in prefato termino ſatisfaciant, alioquin ipſos a dicta hereditate priuamus, & illam ſecundum quod ſuperius continetur, deuolui volumus ad pręfatos: Statuentes quod alias pecuniæ quantitates, quas eis ſoluendas commiſſimus, perſoluant, vt ſuperius continetur. Item. Magdalenam, & Cōſtantiam filias noſtras præfatas ad Regem Caſtellæ deſtinent maritandas. Item quod ipſi heredes noſtri Nicolam filium quondā Corradi Gontij reccommendatum habeant, eique abunde ſubueniant in his, quæ ad vitam ſuam viderint expedire. Denique Guilielminum de Parma fidelem domizellum noſtrum ſtricte dictis

noſtris

noſtris heredibus commendamus. In Regno autem Hieruſalem, Regno Sicilię Regno Arelatenſi, Ducatu Sueuię, & in omnibus iuribus, dignitatibus, & honoribus ad nos in Imperio Romano ſpectantibus, & generaliter in omnibus aliis bonis noſtris, iuribus, & actionibus præſentibus, & futuris Illuſt. Dominum Alfonſum Regem Caſtellæ conſanguineum noſtrum, & Dominum Federicum Tertium Lanthegrauium Turring. Nepotem noſtrum nobis hęredes inſtituimus, & ipſos æqualibus portionibus eadem hęreditate noſtra decernimus potituros. Statuentes quod Dominę Catherinę Sorori noſtræ vſque ad anni proximi ſpatium ab exitu vitæ noſtræ, Duomillia lib. Bonon. in quibus nobis eam hæredem inſtituimus, perſoluere non obmittant, quod ſi obmiſerint, ipſos ab hæreditate noſtra priuamus, & ipſos eadem volumus non gaudere, ſed ad ipſam ſororem noſtram pleniore iure dicta hæreditas deuoluatur. Præſens autem vltimæ voluntatis noſtræ iuditium Teſtamenti robur, & firmitatem pleniſſimam, nullis aliis Teſtamentis, vel Codicillis, hactenus per nos factis, obſtantibus, quæ certa ſcientia, & pura diſcretione caſſamus, & irritamus, iubemus, & volumus obtinere, quod ſi Teſtamenti iure non valet, ſaltem Codicillorum iure, vel alio, quo melius valere poteſt, roboramus. Mandantes infraſcripto Thomaxino fideli Notar. noſtro quod hæc propria manu ſcribens, in publicam formam redigat, & muniat proprio ſuo ſigno.

Actum Bononiæ in Palatio nouo Communis eiuſdem. Præſentibus Venerab. viro Fratre Bonnano Priore Conuentus fratrum Prędicatorum de Bonon. qui aſſeruit ſe dictum Dominum Regem cognoſcere, fratre Thomaxino de Mathelica, & fratre Filippino de Vercell. de dicto Ordine, Nobili viro Domino Luchitto de Gataluſiis Ciue Ianuen. Bonon. Prętore, Domino Accurxio Lanzaueglia Ciue Alexandrino Cap. Populi Bonon. Domino Raymundo de Caſali Ianuen. Domino Danielle de Taſell. Dominò Guilielmino de Redofredo Iudicibus Poteſtatis præfati. Domino Viano ciue Alexandrino Iudice dicti Cap. Domino Anſelmo Millan. Domino Pizzone, & Domino Facino

ſociis,

ſociis,& militibus dicti Domini Pot. Domino Amadeo Vgonis Alber.i,& Domino Peregrino Dhriſtiani medicis. Teſtibus Vocatis,& rogatis.

Ego Thomaxinus quondam Petrizoli Armanini, Imperiali auctoritate Not. & nunc eiuſdem Domini Regis Not.& familiaris, prædicta de ipſius mandato ſcripſi, & in publicam formam redegi,&c.

EXEMPLVM VNIVS CODICILLI SIVE INSTRVMENTI CVM DIE, ET CONSVLE SIC INCIPIEN.

IN nomine Domini Amen. Anno à natiuitate eiuſdem Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Secundo. Indictione Quinta Decima, Die ſeptimo, intrante Martio. Henricus Dei gratia Rex Sardiniæ. Cum ſuper Regnorum, bonorum, & iurium noſtrorum diſpoſitione ſcribi mandauerimus Teſtamentum manu Thomaxini quondam Petrizoli Armanini Notarii noſtri confectum. quia circa quædam, quæ in ipſo Teſtamento continentur, propoſitum mutauimus, quod vſque ad vltimam ſpiritus emiſſionem nobis licitum eſt immutare, Codicillis præſentibus iam dictum Teſtamentum gaudere decernimus pleniſsima firmitate, hoc tamen addito, quod his Codicillis iure Legati relinquimus Nobili viro Amori milini de Curia, Centum lib. Bonon. Item quod reſtituantur Gratiadeo aurifici Quindecim lib. Bon. quas nobis liberaliter mutuauit. Item iure Legati relinquimus Azolino vocato Cella familiari noſtro Centum lib. Bon. Supplicantes hæredibus noſtris Illuſtribus Domino Alfonſo Regi Caſtellæ, & Federico Tertio Lantegrauio Turing. quod prædictas ſoluant pecuniæ quantitates. Præſens autem vltimę voluntatis noſtræ iudicium Codicilli robur & firmitatem pleniſsimam obtinere volumus, & iubemus. quod ſi Codicilli iure non valet, ſaltem valeat cuiuſcũque alterius vltimæ voluntatis, per quã valere potuerit plenius,

& tenere. Mandātes infraſcripto Thomaxino Nota. noſtro quòd hæc propria manu ſcribens in publicam formam reducat, & muniat proprio ſuò ſigno. In Palatio nouo Communis Bonon. Præſentibus, Fratre Thomaxino de ordine Fratrum Prædicatorum, fratre Philippino de Vercell. de dicto ordine, qui aſſeruit ſe dictum Dominum Regem cognoſcere, Iacobo Abbatis, Guilielmino de Sancto Georgio Guilielmo de Albertis Rubeis de Perma, Magiſtro Eliſeo medico Senenſi, & Bernardo Permenſe. Teſtibus vocatis, & rogatis.

Ego Thomaxinus quondam Petrizoli Armanini Imperiali Auct. Not. & nunc eiuſdem Domini Regis Not. prædictis interfui, & de ipſius mandato in publicam formam redegi, & ſcripſi.

EXEM-

EXEMPLVM

ALTERIVS CODICILLI.

IN nomine Domini Amen. Anno à natiuitate eiuſdem Milleſimo Ducenteſimo Septuageſimo Secundo, Indictione Quinta Decima, Die ſeptimo, intrante Martio. Henricus Dei gratia Rex Sardiniæ. Cum ſuper Regnorum, bonorum, & iurium noſtrorum diſpoſitione ſcribi mandauerimus Teſtamentum, & Codicillum manu Thomaxini Not. noſtri infraſcripti confectos; quia circa quædam, quæ in ipſo Teſtamento, & Codicillo notantur, propoſitum mutauimus, quod vſque ad vltimam ſpiritus emiſſionem nobis licitum eſt immutare, Codicillis præſentibus iam dictum Teſtamentum, & Codicillum decernimus gaudere pleniſsima firmitate, hoc tamen mutato, & addito, quod ijs Codicillis Sepulturam noſtram nobis eligimus apud Eccleſiam beati Dominici Bonon. arbitrio Venerabilis Patris Domini Octauiani Bono. Epiſcopi Teſtamento præfato nullatenus inhibente, quod arbitrium penitus reuocamus. Relinquimus inſuper pro anima noſtra Eccleſiæ præfatæ, ac etiam circa funus & ſepulturam eandem Sexcentas Vncias auri ſoluendas & dandas per Illuſtres Dominum Alfonſum Caſtellæ Regem, & conſanguineum, & heredem noſtrum, & Dominum Federicum Tertium Lanthegrauium Cariſſimũ nepotem noſtrum. Rogantes eoſdem quod in hac parte noſtræ ſalutem animæ non euitent. Item pro anima noſtra relinquimus Conuentui Dominarum de Miſericordia, eo quia Illuſtri Dominæ Chatherinæ ſorori noſtræ aſtiterũt honoribus, & gratis obſequijs Quingentas lib. Bon. ſoluendas & dandas eidem Mon. per Illuſtres Dominos Alfonſum, & Federicum pręfatos. Item iure Legati relinquimus ſorori Guidæ Magnæ dictæ Dominæ ſeruienti Centum lib. Bono. ſoluendas, & dandas eidem per Illuſtres Do-

minos Alfonſum,& Federicũ præfatos. Itẽ Iure Legati relinquimus Amori militi de curia, cuius fides, & poſſe in obſequiis noſtris non defuit, Trecentas lib. Bon. computatis in ijs Centũ lib. Bon. quas eidem legauimus altero Codicillo ſoluendas & dandas eidem per Illuſtres Dominos Alfonſum, & Federicum præfatos. Præterea quoniam eum non poſſumus debitis lætificare muneribus, ipſum prefatis noſtris hæredibus commendamus, quatenus ei dignetur aſſiſtere debitis gratiarum impẽdiis, & honore. Item Iure Legati relinquimus Domino Spagnolo Abbatis Legum Doctori, Antonio, & Bolognino ſuis fratribus mille lib. Bono. ſoluẽdas, & dandas eis per Illuſtres Dominos Alfonſum, & Federicum præfatos. Item relinquimus Iure Legati Magiſtro Bentio medico noſtro Quinquaginta lib. Bon. ſoluendas, & dandas eidem per Illuſtres Dominos Alfonſum, & Federicum prefatos. Damus inſuper in mandatis infraſcripto Thomaxino not. noſtro, quod manu propria familiaribus amicis, & fidelibus noſtris, qui ab eo petierint commendationis literas ad Reges, Principes, & Barones conficiat noſtro ſigillo munitas. Præſens autem vltimę voluntatis noſtræ iudicium Codicilli robur & firmitatem pleniſsimam obtinere volumus, & iubemus. Quod ſi Codicilli iure non valet, ſaltem valeat cuiuſcunque alterius vltimę voluntatis, per quam valere poterit plenius, & tenere. Mandantes infraſcripto Thomaxino not. noſtro, quod has propria manu ſcribens in publicam formã reducat, & muniat proprio ſuo ſigno. Actum in Palatio nouo Communis Bon. Præſentibus viro diſcreto presbytero Benuignai rectore Eccleſiæ Beati Michaelis de Mercato Medii, qui ſibi præfatum Dominum Regem notum aſſeruit, Domino Vgolino Ricardi, Domino Guilielmino de S. Georgio, Domino Iacobo Abbatis Nicolao Domini Benuenuti, Parmirano, Domini Peregrini, Magiſtro Eliſeo de Sen. medico, & Azolino cui dicitur Cella. Teſt. vocatis, & rogatis.

Ego Thomaxinus quondam Petrizoli Armanini, Imperiali auctoritate Not. & nunc eiuſdem Domini Regis Not. predictis interfui, & de ipſius mandato in publicam formam redegi, & ſcripſi.

CANZONE DEL RE ENZO
Figliuolo dell'Imperadore Federico II.

S'EO trouaſſi pietanza
D'incarnata figura,
Merzè le cheggeria;
Ch'à lo meo male deſſe alleggiamento.
E ben faria accordanza
Infra la mente pura;
Che pregar mi varria,
Vedendo il mio humile agicchimento:
E dico: ahi laſſo, ſpero
Di ritrouar mercede
Certo il meo cor no'l crede;
Ch'eo ſono iſuenturato
Più d'homo innamorato;
Sol per me pietà veneria crudele.
Crudele, e ſpietata
Verria ver me pietate;
E contra ſua natura
Secondo ciò, ch'era oltre à'l mio diſtino,
E mercè adirata
Piena d'impietate.
O Deo cotal ventura;
Ch'eo pur diſeruo, à cui ſeruir non fino:
De'l meo ſeruir non veo
Che gio' mi ſe ne accreſca;
Anzi mi ſi rinfreſca

Pena, e doglioſa morte,
Ciaſcun giorno più forte;
La ond'io ſento perir lo meo ſanare.
Ecco pena doglioſa,
Che'nfrà lo cor m'abbonda,
E ſparge per le membra;
Sì ch'à ciaſcun ne vien ſouerchia parte:
Giorno non hò di poſa,
Si come'l mare, è l'onda:
Core che non ti ſmembra?
Eſci di pene, è dal corpo ti parti:
Ch'aſſai val meglio vn'hora
Morir, che pur penare,
Che non porria campare;
Homo, che viue in pene;
Ed à gio' non s'auuene;
Ne hà penſamento, che di ben s'apprende.

DEL MEDESIMO.

AMor mi fa ſouente
Lo meo cor penſare,
Dammi pene, e ſoſpiri,
E ſon fortemente
Per lungo adimorare
Ciò che porria uenire:
Non c'haggia dubitanza,
Che la dolce ſperanza

In ver di me fallanza ne faceſſe,
Ma mi tene in dottanza
La lunga dimoranza,
E ciò che adiuenire mi poteſſe.
Però n'haggio paura,
E penſo tuttauia
Lo ſuo gran valore.
Se troppo e mia dimora,
Eo viuer non porria
Così mi ſtringe amore
E hammi così priſo
In tal guiſa conquiſo,
Ch'in altra parte non ho penſamento:
Ma tutt'hora m'auiſo
Di veder lo bel viſo,
E tengolcmi in gran confortamento.
Confortomi, e non haggio bene,
Tanto è lo meo penſare
Ch'eo gioia non poſſo hauere.
Speranza mi mantene,
Et fammi confortare,
Et ſpero toſto a gire
Là u'e la piu auenente
L'amoroſa piacente.
Quella che m'haue, e tiene in ſua balia,
Non fallerò niente
Per altra al mio viuente,
Ch'io la terrò pèr donna in uita mia:

INDEX

INDEX.

A

ADminiſtratio Italicarum Ciuitatum qualis. 15.16.
Aduerſæ res humillimis licentiam faciunt. 45.
Aemulatio facile oritur inter pares. 18.
Antonius Lambertacius in dextro Cornu. 38.
Henciũ haſta petit, atq; eius equum vulnerat. 41.
Bononiã victoriæ nũcius mittitur. 46.
Antiani Bononiæ conſtituti primo: nu. 14.15.
Azo Ateſtinus Ferrariæ Princeps. 17.
Rei militaris peritiſſimus. ibidem.
Mittit equites, ac pedites Bononienſibus. 22.

B

Belli finis otium. 60.
Bellum patria procul gerendum. 26.
Belli tempore armis Reſpublica, pacis, iuſtitia amplificatur. 56.
Bellum in ſuis ne, an alienis finibus ſit gerendum. 23.
Blanditijs multa exprimuntur, quæ armis haud comparari poſſunt. 4.
Bononia vrbs Princeps Romaniolæ. 3.
Eius ſitus. 13.
Bononienſes ſtudioſiſſimi Põtificij nominis. 4.61.
Imperatori Friderico inuiſi. 9.
Badianum, Sabinianum, aliaque oppida in conſpectu.

Mutinenſium, atque Icilini expugnant. 10.
Magnam uim cõmeatus, Parmam introducũt ib.
Mittunt ad exploranda hoſtium conſilia. 16.
Comperiunt ſibi cũ Mutinenſibus bellum futurum. ibidem.
Legatos ad Azonem Ateſtinum mittunt. 17.
Philippum Vgonẽ Pratorem Ducem creant. 18.
Arma, equos, aurum in Publicum detulerunt ib.
Late dominabantur. 18.
In Mutinẽſem agrũ contendunt. 28.
Ad ſcultennã caſtra ponunt. 29.
Hẽcio, ac Mutinenſibus occurrunt, ac pugnam ineunt. 31.
Hẽcianos trãs flumen repellunt. 32.
Flumẽ traijciũt, ac Mutinam verſus eunt. 36.
Conſidunt ad foſſam altam. 37.
Pugnã committunt. 40.
Hoſtes magna clade afficiunt, & Hencium capiunt. 44.
Regienſium fines populantur. 46.
Hẽciũ Regem perpetuis vinculis mandare deliberant. 48.
Ipſum mortuũ magna funeris põpa ſepeliunt. 67.

C

Carrarij dominatũ Patauij occupant. 16.
Carrocij deſcriptio. 27.
Carolus magnus inſtituit Foderum, paratam, ac Mãſionaticum ſibi ab Italis perſoluendum. 14.
Carolus Sigonius. 16.
Caſtrum Francum deligitur ad cuſtodiendos captiuos. 41.
Cautio nimia haud laudabilis. 25.

Cautiora conſilia maxime ad bellum conferunt. 24.
Ciuitates præclaris conatibus amplificantur, ignauia labefactantur. 25.
Clementiæ laus in primis quærenda eſt. 60.
Cuſtodiæ, in qua Hencius fuit aſſeruatus, deſcriptio. 55.

D

DEditis præſtare incolumitatem præclarũ. 62.
Decus verum iuſtitia, atque armis comparatur. 56.
Deſidia iam antea parta male dilabuntur. 3.
Ducum multitudo in bello inutilis. 18.
Dux Bononienſium ſuos ad pugnam inſtruit. 38.
Cohortatur ad pugnã. 39.
Regem Hencium ex equo deturbat, & capit. 43.
In triumphum ducit. 48.

E

EXemplis ad deliberandum magnis de rebus adduci periculoſum. 25.
Extremis malis extrema re media. 4.

F

FAmæ, & fidei damna longe maxima. 24.
Felicitas occulta mala patefacit. 57.
Felicitatem orientem multi ferunt, auctam non capiunt. 57.
Foderum, parata, & Manſionaticum quid ſit. 14.
Fridericus ij ad oppidũ Victoriam fugatus. 3.
Bello ſtrenuus, pace infidus. 6.
Omnia iura diuina, & humana violauit. 7.
Summos Pontifices Roma, atque Italia eiecit. ibid.

Eius

Eius litteræ ad Mutinenſes. 51.
Eiuſdem litteræ ad Bononienſes. 53.
Dictum ipſius de Innocentio Summo Pont. creato. 55.
Magnam auri vim pro Hencio redimendo Bonon. pollicetur. 56.
Eius mores. 66.

G

Galli more pugnare. 25.
Gambacurtæ Piſis dominatum occuparunt. 16.
Germanorum corpora conſpicua magnitudine. 41.
Gibellinorum, & Guelphorum origo. 19.20
Ex Germania in Hetruriam primo tranſlati. ibidem.
Gothi, Vnni, & Vandali Italiam vexant. 20.

H

Hencius Rex Filius Friderici Imperatoris. 6.
Primo Henricus, poſtea Hencius appellatus, & quam ob cauſam. 8.
Rex Corſicæ, ac Sardiniæ. ibidem.
Legatus patris in Lombardia. ibi.
Multis Italorum bellis interfuit, ac præfuit. 9.
Benigne Mutinenſium legatis reſpondit. 12.
Ad Scultennam Bononienſibus occurrit. 29.
Vado flumen traijcit, ac pugnam cum Bononienſibus init. 30.
Suos cohortatur re, & verbis. 31.
Germanis iratus, eos ſeuere reprehendit. 33.
Nonantulam vt expugnet proficiſcitur. 35.
Re infecta inde diſcedit.

dit. ibidem.
Ad foſſam altam Bononienſibus occurrit. 37.
Exercitum ad pugnam inſtruit, & cohortatur. 38.
Prælium committit. 40.
Erat ſtatura procera. 41.
Antonium Lambertacium aggreditur. ibid.
Equo deijcitur ab Antonio Lambertacio. 42.
In alterum equum ſublatus pugnans capitur. 43.
Bononiam veluti in triũphum ducitur. 48.
Fugam molitur atque in fuga deprehenditur. 67.
Eius interitus. 68.
Tumulatus in Sãcti Dominici templo. ibid.
Eius ſepulchri inſcriptio. 70.
Teſtamentum ipſius. 72.
Nonnulla ab ipſo Italico ſermone edita: in fine.

I

ICilinus Verona ac Patauij tyrannus. 7.
Imperator ad hoſtium cędes properare non debet. 23.
Imperatorem conſilio, & manibus vti oportet. 26.
Imperium vnius Ciuis Reipublica ſuſpectum. 18.
Innocentius iiij. eiectus Italia a Friderico Imperatore. 7.
Familia fuit Fliſca, patria Genuenſis. 53.
Sua Eccleſiæ ornamenta reſtituit. 1.
Italiam repetit, ac Bononiã profectus eſt. 67.
Italia populi diuiſi. 21.
Italicarum Ciuitatum gubernatio. 15.

L

LEgati Mutinenſium ad Bononienſes. 4.
Legati Mutinenſium ad

Re-

Regem Hencium decreti. 6.
Legatorum ad Regem Hencium oratio. 8.
Ludouicus Hieremia. 38.

M

Malateſta Arimini dominatum occupāt. 16.
Manfredi Fauentinis libertatem eripiunt. 16.
Metuētes facile laudiūt. 45
Mutinenſes conqueruntur de Bononienſibus. 2.
Imperatori Friderico addicti. 9.
Mittunt legatos ad Regē Hencium. 6.
Impetrant ut ſibi ſit auxilio aduerſus Bononienſes. 13.
Erant olim ipſi liberi cū ceteris fere Italiæ populis. ibidem.
Fugantur à Bononienſibus. 43.
Ingenti mœrore ac terrore afficiuntur. 43.
Certiorē faciunt Fridericum Imperatorem de captiuitate Hencij. 51.
Pacem Bononienſibus petūt, atque impetrant. 61.

O

Octauianus Vbaldinus Cardinalis Summi Pont. Legatus. 22.
Oratio Mutinenſium ad Hencium Regem. 8.
Oratio Hencij ad ſuos. 32. 38.
Oratio Ducis Bononienſium ad ſuos. 39.
Oratio Mutinenſium ad Bononienſes pacem petentium. 61.
Ordo acierum Hencianorum, & Bononienſium. 37. 38.

P

PArma a Friderico obſeſſa. 10.

A Bononiẽſibus cõmeatu iuuantur. 11.
Parmenſes Victoriam oppidum oppugnant. ibid.
Pacis artibus bella recte conficiuntur. 23.
Pacis cõditiones inter Bononienſes, & Mutinenſes. 62.
Pericula quanto magis inopinata, tanto maiora. 43
Popularis Reipublicæ adminiſtratio. 16.
Proſpere res imbecillium animos efferunt. 47.
Publicæ res acribus initijs gerantur, incurioſo fine. 26.

R

Regienſes auxilio ſunt Mutinenſibus. 46.
Regienſium fines depopulantur Bononienſes. ibid.
Reipublicæ dignitati ante omnia conſulendum. 25.
Rhenus via Aemilia. 22.
Romani in alienis finibus bella gerebant. 26.

S

San Cæſarium ob damna a Mutinenſibus illata bononienſes ceperunt. 5.
Scaligeri Veronenſium Tyranni. 16.
Scultenna flumen diuidit Romaniolam a Lombardia. 28.
Oritur ex Apennino, in Padumque fluit. ibid.
Olim nobilitatum cæde xv. Ligurum. 28.
Specioſiora laudare, tutiora ſequi debet Reipublicæ ſtudioſus. 28.
Spes ad effugium pugnantibus obeſt. 43.
Spes victoriæ redintegrat vires. 43.
Stipendium non dabant militibus olim Itali. 27.

T

Teſtamentum Regis Hẽcij. 72.

Triumphi de Rege Hencio deſcriptio. 48.

Turriani Mediolanenſium dominatum occupãt. 16.

V

Vido Seſſius Regienſium Princeps. 37.

In cloaca p̃cipitatus moritur. 44.

Victoria oppidum à Friderico conſtructum. 9.

Victoria ingenij maxime viribus comparatur. 23.

Victoria Bononienſium. 44.

Viribus, & viris bella geruntur. 25.

Vitæ turpiter actæ triſtes imminent exitus. 66.

FINIS.



BONONIAE, Ex Typographia Alexandrum
Benatium. M. D. LXXXX.